ANIMADVERSIONES
IN LIBROS
NOVI TESTAMENTI
JAM
Tertiâ curâ auctæ & emendatæ.

AUTHORE
D. *NORTONO KNATCHBULL*
Eq. & Bar.

OXONIÆ,
Excudebat *Henric. Hall*, Academiæ
Typographus Impensis *R. Davis*.
M. DC. LXXVII.

Imprimatur.

RAD. BATHURST.

Vice-Cancel.

OXON.
Febr. 5.
1676.

LECTORI.

HAbes hic, Amice Lector, animadversiones nostras in Libros Novi Testamenti ultima manu jam auctas & qua cura potui emendatas, absq; omni partium studio, ut jam antea dixi, ruri exaratas, ut ex ipso stylo vel primo serie intuitu. Aliqua in prioribus chartis leviora, vel quæ

quæ non ita neceſsariò faciebant ad Sacrum Codicem (quod præcipue fuit in voto) a Solœciſmis, quos vulgò tam in expoſitione quàm in verſione Sacris Scriptoribus impingunt interpretes, vindicandum in his de induſtria prætermiſi, ut te inutili levarem tædio. Aliqua verò jam etiam addidi. Quod ſi quis arguat receſsiſſe à ſenſu veterum vel recentiorum interpretum, ut jam prius dictum, non eſt quod reponam. Imò

ſi

si id non fecisßem, omninò non scripsisßem. Rursus verò dico, me vehementer utrisque suam debere reverentiam, sed nec meam nec alterius fidem velim mancipari. Si quid profecerim in voto, mercedem habeo, sin minus, operam non totus perdidi, in magno conatu est voluisse aliquid. Tu interim qui has chartulas perlegeris, pro candore tuo si quid erratum sit ignoßces. Vale.

ERRATA.

PAG. 2. lin. 12. צעור. 22. צעדה. 26. אשמיר *perdam*. 30. צעור. 31. צעור. 4. 28. *poterat*. 9. 25. reflexa. 10. 8. & 25. *filiqua* 15. 4. sensus. 20. post, *omnibus*, fac comma, 16. 28. שור. 17. 28. *filius*. 22. 8. quarum. 34. ἡ ἀνακολ. 23. 12. pro ἐκ lege ἐν. 20. reperire. 18. במנדו. 25. 25. post δύνασαι fac notam interrogationis; 29. 13. ἀπάτης. 29. ἑτοιμάσαι. 34. καθὼς. 31. 1. fecit. 24. dele, &. 38. 18. comprehendentes. 42. 28. utramque. 46. l. ult. οἱ. 48. 29 dele, *eo*. 50. 1. κατελείφθη 52. 34. sufficiat. 70. 14. post, *Arabicus* adde *in Bibliis Polyglottis*. 75. 8. pro οἱ ϗ, lege οἱ γὰρ. 76. 3. יהבישו. 78. 9. ינערתי. 80. 3. *descendamus*. 81. 13. pro est lege sit. 85. 3. עלה 86. 21. pro :). 95. 15. pro, *qua nihil familiarius phrasi*, lege, *quo nihil familiarius, phrasi qualis* &c. 96. 1. *fecit*. 104. 6. משמניהם. 109. 22. ie. 29. *in Corintho*. 114. 15. ὑπάρχων. 17. תמנה. 118. 27. pro. 19. lege. 29. ibid. 31. post, ἔχουσι, fac notam interrogationis; 122. 1. *immersionem*. 124. 25. sciat. 126. 14. δωρεὰ. 127. 24 εἰσί. 28 singulos. 128. 2. *administrata* 14. ὀπιχορηγῶν. 129 21. σαρκαστικῶς 27. ἀνέχεσθε. 132. 6. experiri. 134. 15. *assumps*. 140. 8. ἐκλήθ. 142. 18. ἐλεγχόμ. 172. 4. Fateor in. 177. 12. pro ἐξ, lege, ἐκ. 189. 26. post, *interpretes*, fac comma.

In Matthæum.

MATTH. c. 1. v. 19. δίκαιος ὢν, i. e. איש חסד, *vir misericordiæ*, ut apud LXX, *Is.* 57. 1. Et sic vocem חסד, quæ *affectum pietatis & misericordiam* χυείως significat, LXX sæpiùs vertunt δικαιοσύνη. Ut *Gen.* 19. 19. καὶ ἐμεγάλυνας τὸ δικαιοσύνιόν σου, *Et magnificasti* חסדך *misericordiam tuam* 20. 13. Ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις εἰς ἐμὲ, זה חסדך *Hanc misericordiam tuam facies mecum. Exod.* 15. 13. Ὡδήγησας τῇ δικαιοσύνῃ σου: *Dux fuisti* בחסדך *in misericordia tua populo tuo quem redemisti*, & alibi. Quod si Evangelista voluisset *Josephum* esse justum vulgari sensu, eo ipso nomine oportuisset eum *Mariam* δειγματίσαι, *Exemplum statuere.* Clam verò dimisit illam, quod planè arguit eo facto misericordem magis quàm familiari sensu justum. Hinc *Chrysostomus*, δίκαιος ὢν ὤν, τοῦτ' ἔστι χρηστὸς καὶ ὑπιεικὴς, i. e. *mitis & benignus:* & *Theophylactus*, οὐκ ἐβούλετο ἁπλοῦς εἶναι, ἀλλ' ἐφιλανθρωπεύετο ἀπὸ πολλῆς χρηστότητος: *Nolebat crudelis esse, sed ex multa benignitate misericordia eam prosequebatur*, ut Interpres.

C. 2. v. 6. Οὐδαμῶς ἐλαχίστη. Locus iste pugnat ex diametro cum *Mich.* 5. 2. *Et tu Bethleem non es minima, & tu Bethleem es parvula ut sis inter Principes Judæ.* Quoad verò sensum consentiunt universi utrosque idem velle. Magis verò explicitus locus iste ut aiunt in *Matthæo*, quem ipsum

sum restituisse à quibusdam creditur: At verò verba ista *Matthæi* non sunt, ab illo tantùm historicè recitantur; verba sunt Sacerdotum & Scribarum, qui percontanti responderunt *Herodi*, *In Bethleem Judæ, sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu Bethleem non es minima* &c. Atque eos ita respondisse vel secundum lectionem tunc temporis vulgatam *Græcorum* codicum, vel secundum vulgò receptum sensum, non est cur quis dubitet. At quid si fortè neutra lectio sit ipsa vera? Est enim certè possibile, aliquod vitium irrepsisse in codice *Hebræo*, legendo fortè צעיר pro צעור, vel incuriâ vel errore aliquo apographi à primis etiam temporibus, quem bonâ fide sequebantur posteri, cùm sit adeò pronum errare in literis *Hebræis* ob similitudinem characterum, sicut in aliis locis erratum esse, sine controversia palam est. Atque error iste in hoc loco proclivis admodum ob similitudinem literarum ר & ד, ו & י. Neque verò hoc omnino novum, in eâdem enim ipsâ voce errârunt LXX, *Gen.* 49. 22. legentes עלדה, & vertendo νεότης, *adolescentior*, pro עערה, *progrediebatur super murum*, ob literarum ר & ד similitudinem, & æquè facilis est error inter י & ו, qui etiam occurrit in singulis. *Ezek.* 34. 16. Ubi *Græci* pro אשמיר, *perdam*, habent אשמור, φυλάξω, *custodiam*, vel *servabo*, legendo ר pro ד, & ו pro י. Atque hoc errore concesso in hoc ipso *Michææ* loco, legendo è contrario ו pro י, & ד pro ר i. e. צעור, pro צעיר, optimo sensu vertitur צעור לי יוצא, *Et tu Bethleem Ephrata progredere*, sive *cum pompa progredere*, secundum vim *Hebræam*, ut sis inter *Chiliadas Judæ, ex te enim egredietur, qui erit dominator in Israel.*

V. 10. Ἰδόντες δὲ τὸν ἀστέρα, subaudi ἐχάρησαν vel ἔχαρη. Dicitur enim versu præeunte, *& ecce stella*

ſtella quam viderunt in oriente præibat eis, uſque dum venit & ſtetit ſuprà ubi erat puer. Cùm igitur *viderent ſtellam* ſubſiſtentem, vel ubi ſtetit (non poterant enim non videre ſtellam antea, quam ſequebantur ducem) *gaviſi ſunt gaudio magno.*

V. 16. Ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, *A bimatu & infra*, ut vetus; *à bimulo & infra*, ut alii; utrum verò vis legatur, haud multùm refert, vel *ſubſtantivè* vel *adjectivè*, dummodo idem omnes intelligant, ἀπὸ διετίας πληρωθείσης, *à biennio expleto*, ut dicitur *Act.* 24. 17. Quod ego nullo modo huic loco convenire ſentio; verba verò reddenda & intelligenda ſecundum morem loquendi & apud *Græcos* & *Latinos*, atque ipſam rationem & mentem loci, in hunc modum. *Tum Herodes videns quod illuſus eſſet à Magis, iratus eſſet valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in finibus ejus, à bimulo & infra*, nempe incipiendo à bimulis excluſivè, & deſcendendo ad eos qui infra bimatum erant, (& non ut eſt in *Anglico*, (*From two years old and under.*) Interpretando διετοῦς, ἀπὸ διετίας ἀρχομένης, & non πληρωθείσης, *à bimatu incipiente & non expleto.* Quaſi diceret, omnes unius anni pueros & infrà, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis. Ab anno enim integro & ſuprà puer incipit vocari ab *Hebræis* בן שנתים, *filius duorum annorum*, i. e. *ſecundi anni*, apud *Græcos* διετὴς, apud *Latinos* bimus; ſic שנתים LXX rectè, opinor, vertunt δυετέρους ἔτους, *ſecundo anno poſt diluvium*, *Gen.* 11. 10. Sic *Noah* dicitur *Gen.* 7. 6, & 11, בן שש מאות שנה, *ſexcentorum annorum filius* בשנת ששׁ מאות, in ſexcenteſimo anno vitæ ſuæ. Sic ſenſit *Heſychius*, διετὴς, δι' ὅλου τοῦ ἔτους, *poſt annum integrum*, quaſi

tum demum inciperet puer esse vel vocari δετὴς, διὰ posito pro μῦ, quod fieri solet cùm de interjecto tempore dicitur, ut δι' ἡμερῶν, *post dies aliquot. Mar.* 2. 1. Δι' ἐτῶν πλειόνων, *post plures annos. Act.* 24. 17. Et δι' ἐτῶν ἑκατὸν τεσσαράκοντα, *post annos fere quadraginta, Plut.* Sic etiam *Aristoteles lib.* 9. *c.* 5. *de Hist. Animal.* cujus verba de cervo sunt hujusmodi: φύσει δὲ δετεῖς φέρουσι τὰ κέρατα, *bimi primùm generant cornua.* At verò nihil certius quàm quòd cervi incipiant generare cornua simul ac primum excesserint ætatis annum, & secundum introierint. Et ut hoc demonstretur planiùs, qui apud nos vocatur, *The Calf of a red Deer*, toto primi ætatis anni spatio apud eum vocatur ἐνιαύσιος, ut etiam in *Scriptura* vocatur agnus *Hebraicè* בֶּן שָׁנָה, apud *Græcos* ἐνιάυσιος, apud *Latinos, anniculus*, in bibliis *Anglicis*, *a Lamb of the first year.* Et qui apud nos secundo ætatis anno vocatur, *a Brocket*, apud eum dicitur παιδαλία, sive δετὴς, apud *Latinos*, *Jubulo* vel *bimus*, in initio cujus anni cornua generat, in fine abjicit. Τῷ δὲ τείτῳ ἔτει, ut idem dicit, i. e. ac primùm ingrediuntur tertium ætatis annum, δίκερων φύσει, *bifida generant*, & vocantur tertio ætatis anno apud *Latinos, trimi*, Anglicè *Spaydes.* Ubi liceat obiter observare, δετεῖς & τῷ τείτῳ ἔτει, unam eandemque esse phrasim apud *Aristotelem*, adeò ut æquè dixisse poterit, τῷ δευτέρῳ ἔτει ac δετεῖς, & τετετεῖς æquè ac τῷ τείτῳ ἔτει. Unde liquet, ἀπὸ δετοῦς accipi posse vel a bimatu incipiente vel desinente, à tempore quo puer incipit esse duorum annorum filius, vel a tempore quo esse desinit, est enim ἀπὸ alterutri exclusiva vel initio vel fini. Quia verò τὸ κατωτέρω *infrà* additur, videtur hoc loco debere accipi *a bimatu incipiente*, à tempore quo puer ingredi-

tur

rur secundum ætatis annum, & *infrà*, ut contrà 2 *Paral.* 31. 16. ἀπὸ τριετοῦς καὶ ἐπάνω, *à triennio & suprà*, vel *à filio trium annorum & suprà*, ut est in *Hebræo*, non potest intelligi nisi de masculis qui tertium ætatis annum jam excesserant, quasi diceretur, ἀπὸ τριετίας πληρωθείσης. Sic etiam *Aristoteles lib.* 2. *c.* 1 *de hist. Animal.* ἀποβάλλει δὲ τὰ κέρατα μόνον ἔλαφος κατ' ἔτος, ἀρξάμενος ἀπὸ διετοῦς καὶ πάλιν φύει. *Cervus solus singulis annis abjicit cornua*, incipiens [*abjicere*] à bimatu & rursus generat. In quo etiam loco necessarium est intelligere, ἀπὸ διετίας πληρωθείσης *à bimatu expleto*, utque enim ad illud tempus, cornua non abjiciunt, at immediatè *incipiente trimatu* πάλιν φύει *rursus nova generat*, ut antea dictum, πρὸ δὲ τούτου ἔτει δίκερως φύεται. Quod si ergò Evangelista intellexisset pueros duos jam totos annos natos, dixisset certiùs ἀπὸ τριετοῦς καὶ κατωτέρω, *à trimatu & infrà*. Est enim discrimen certè inter *à bimatu* vel *trimatu & infrà*, & *à bimatu* vel *à trimatu & suprà*. Nec apud *Latinos* omnino differt mos loquendi. Idem enim significant *bimus* ac διετὴς, *bimatus* ac διετία, *trimus* ac τριετὴς, &c. *Bimus* vulgariter, *qui in bimatu est*. *Bima dies*, *tempus biennii*. *Vall.* Habemus etiam in vulgari Latino, *Isai.* 15. 5. *vitulam contermantem*, i. e. ut exponunt *Grammatici*, *quæ est in complexione anni tertii*, & apud LXX vocatur δάμαλις τριετὴς, apud *Interp. Arab. vitula trima*. Ita ut ab utroque dicendi genere vel *Græco* vel *Latino* necessariò exponendum, nè unum quidem bimulum ab *Herode* interfectum, eos verò solùm occisos, qui erant *infrà*, i.e. *unius anni expleti*, *pueros*, quorum omnes perierunt, usque ad infantem recens natum. Et jam restat demonstrare, quomodo interpretatio ista sit magis commoda

ſcopo loci, & rationi magis conſentanea. Idque reor ob hanc præcipuè cauſam, eò quòd *Herodes* occiderit infantes, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων, *ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis*. Atque hoc fuit tempus quo apparuit eis ſtella in *Oriente*, quam *Herodes* qui accuratè perquiſiverat ab eis momentum temporis quo apparuit, non vanè poterat ſupponere deſignâſſe conceptum iſtius quem quærebant regis. *Cometæ* enim *ſigna ſunt rerum imminentium non præſentium*, ut *Joſephus Scaliger*, undè *veriſſimum eſſe* arguit, *natalem filii Dei illo oſtento denunciatum magis longo tempore antequam incideret*. Neque eſt omninò *nobis* à ratione alienum conjicere, ſtellam illam apparuiſſe *magis* primò in ipſo temporis articulo, quo *Virginem* ſaluravit *Angelus*. Circa quod tempus in quo filius *Dei* deſcendit è cælo, ut fieret filius hominis in utero *Virginis*, rurſus aio, non eſt à ratione alienum conjicere *magos* primò vidiſſe ſtellam, atque ea viſa protinùs, divinitùs priùs admonitos eam portendere regem *Judæis* naſciturum, incœpiſſe ſe parare itineri ad *Jeruſalem*: divinitùs aio priùs admonitos, non enim credo eos ita calluiſſe *prophetiam Balaami*, vel *aſpectum aſtrorum*, ut ex iis ſcire poterint ſtellam illam portendere regem *Judæis naſciturum*, ſi non fuiſſent è ſuprà divinitus admoniti, non magis quàm ſciebant habuiſſe *Herodem* in animo infantem interimere, ſi non per ſomnium fuiſſent priùs χρηματισθέντες. In cujus itineris expeditione cum feciſſent circà quadraginta ſeptimanas, *cum impleti eſſent dies quibus ipſa pareret*, *Luc.* 2. 6. (quod ſpatium temporis fas eſt dare abſolvendo itineri, præcipuè ſi ſit verum quod *Joſephus* ait, *eos qui habitabant ſuprà Euphratem feciſſe ad Hieroſolymam quinque menſium iter*, ſive venerint

nerint ex *Persia*, ut volunt aliqui, sive venerint ex *Arabia*, quæ etiam secundùm *Ptolemæum Judæam ab oriente terminat*, ut alii, quorum argumenta licet eis ipse potiùs adstipulor non est opus nostrum hìc repetere) civitatem illam duce stella tandem advenerunt. Quibus quadraginta septimanis si duodecim addamus dies post nativitatem *Jesu*, includentes diem in quo venerint ad eum adorandum *magi*, quod tempus æquum est conjicere eos expendisse in inquirendo ubinam esset recens natus *Judæorum* rex, usque dùm apparuit eis rursus stella, & *præivit eis usque dum venit & stetit supra ubi erat puer*, & deinceps circà viginti & octo dies usque dùm *dies purificationis Mariæ & præsentationis filii in templo secundùm legem Mosis* jam præterierant, circa quod tempus *magi* fortè reverterunt in regionem suam, dando etiam ulteriùs pro reditu *a Jerusalem in urbem suam Nazaret, cum perfecissent omnia secundùm legem Domini*, Luc 2. 39. atque indè rursùs retrò in *Ægyptum*, Matt. 2. 14. & 16. secundùm ordinem historiæ, antequam *Herodes videns se illusum esse à magis, iratus est valdè & mittens occidit pueros*, sex septimanas ampliùs, erunt in toto quinquaginta duo, spatium anni integrum à tempore quo primò dicimus apparuisse stellam *magis* usque ad tempus quo *Herodes* intercmit pueros. Adeò ut non omninò præter rem sit dicere, *Herodem* occidisse *pueros omnes ἀπὸ δίετοῦς καὶ κατωτέρω à secundo ætatis anno & infrà*, i. e. omnes qui primum expleverant ætatis annum & infrà *secundùm tempus quod exquisierat à magis*, posito eum suppositisse τῷ φάσει τῆ ἀστέρος eo tempore portendisse conceptionem istius quem timebat regis. Quod si quis criminetur distributionem temporum

rum, velim eum scire non fuisse nobis in animo ea ita exactè aptare, ut nullus relinqueretur exceptioni vel correctioni locus: satis verò esse mihi, si quod hic proposui habeat in se (quoad summam) speciem veri. *En verò quàm absurdum errorem peperit διετὴς χρόνος? ille perperam intellectus?* Verba sunt *Scaligeri* suprà nominati, Lib. 6. *de emend. temp.* Errorem verò ille intelligit eorum, qui voluerunt *Jesum* fuisse διετῆ i. e. eorum sensu *duos totos annos natum*, cum *Herodes* pueros occidi jusserit *à bimatu & infrà.* Apud quem videre licet plura, quæ non parùm faciunt pro sententia nostra. Positive enim non veretur dicere, *Cometes ille quo duce magi in Judæam profecti sunt, non est dubium, quin longo intervallo Christi natalem præcesserit.* Atque ego istud intervallum aio, præter vel contrà (detur venia verbo) ipsius opinionem, à *Christi* conceptione incœpisse, quam ille *cometam præcessisse ait.*

C. 3. V. 4. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον. Quid ἀκρίδες hoc loco significet, non parum discrepat inter Interpretes: in hoc verò consentiunt universi, *Baptistam* vesci solitum in deserto cibo tenuissimo & parabili, i. e. quem Natura sponte ministraverat, qualis erat quo vescebatur, τὸ μέλι ἄγριον, *mel sylvestre.* Quo concesso, summitates foliorum arborum vel plantarum, quas τὸ ἀκρίδες hoc loco significare putârunt aliqui, quales erant τὰ κεράτια, *Siliquæ*, quibus *implere cupiebat ventrem suum prodigus*, *Luc.* 15. 16. erant certè cibus & tenuissimus, multóque magis parabilis quàm Locustæ. Non enim usquam legi Locustas omninò crudas escam fuisse alicujus populi, paratas autem fuisse semper, prius quàm ederentur, arte aliquâ coquinariâ; vel ad

ignem

ignem coquebantur vel assabantur, vel ad Solem arefactæ; vel fumo & sale duratæ, vel condiræ edebantur, quarum artium ullâ vix credere est usum fuisse *Baptistam* in deserto, & utrum laboris tœdium in arefaciendo coram sole, vel in venando vel in aucupando sumpserit, cordatis egomet submitto. Cùm è contra, τὰ κερατια, *siliquæ* sive *summitates frondium* sine ullo laboris tœdio paratæ erant ad manum. Atque has ἀκρίδας non fuisse locustas, sed ἀκρέμονας ϐοτανῶν, ἢ φυτῶν, ἢ φύλλων, *summitates herbarum, plantarum* sive *frondium*, constanter asseruit *Isid. Pelus. lib.* 1. *ep.* 5. & 132. Cujus sententiæ fuit & *Paulinus* & *Nicephorus*, & alii quorum meminerunt *Euthymius* & *Theophylactus*, quæ etiam non displicere videtur *Optimo* & *Doctissimo Hammondo* nostro, nec *Baronio*, cujus verba sunt ejusmodi. *Hæc cùm scribat* Isidorus, & *non nisi majorum authoritate, quid de his sentiendum, definiendum nobis non est, sed totum relinquimus Lectoris arbitrio; nam constat Græcam dictionem,* ἀκρίδες, & *Locustam insecti genus infirmas habens alas ad volandum*, & *summitates herbarum significare.* Præterquam etiam quod me multùm movet, quòd hæc κερατια, quæ ita vocantur Græcè, quoniam sint *reflexo sicut cornu*, & *Latinè* redduntur *siliquæ*, vel à ξυλικὴ, *eò quòd sint esu lignea*, vel à *Silo*, propter formæ similitudinem, *eò quod Silus appellatur, naso sursum versus repando* ut sunt illæ, apud *Germanos* ad huc vocantur *St Johans Brot*, i. e. *Sancti Johannis panis*, quasi constans foret opinio inter ipsos, *Baptistam* vesci solitum his frondium summitatibus in deserto. Adde etiam περὶ πάντων, quòd oculatus testis *Sandys* noster fidus & nobilis historicus, in relatione peregrinationis suæ cum iter faceret per *Judæam* circa annum 1611. *lib.* 3. *pag.* 183.

183. *edit.* 2. hanc ipsissimam montanam regionem, in qua *Baptista* vesci solitus, depinxit in tabula sparsìm arboribus refertam, inscripto nomine, *The desert of St John Baptist, Desertum Johannis Baptistæ*, paulo inferiùs addens, *beholding onely to the Locust tree, soli locustæ devinctum arbori.* Quæ arbor utrùm sit *Acacia*, vel *Siligna*, vel *Ceratium*, statuant in botanicis eruditi. Nobis verò aptum est statuere, ex hoc itinerario & suprà nominatis testimoniis eam esse ipsissimam, ex qua *Baptista* vesci solitus, quam etiam hodiè locustam vocant. Adeò ut mihi, dum hæc simul reputo, quicquid nihilominus ita strenuè contradicitur, æquè si non magis apposita videatur versio: *Esca autem ejus erat summitates foliorum arborum, & mel sylvestre.* Neque *Erasmus*, cùm pro viribus vindicâsset eos qui hîc *locustas* volunt, id tamen confidenter asserit, sed modestè concludit, *Neq; hæc commemoramus, quòd omnino negem hîc ἀκρίδας accipi posse pro frutice aut herbæ genere. Keratia* autem ista sive *siliquas* in regionibus in quibus nascuntur, frequenter escam esse pauperum testantur abundè *Authores.* Inter alios *Lobelius, in Advers. Multum hæc*, nempe siliquæ, *cognita Nicæa & maris Ligustici accolis, ubi eam esitant pueri etiam & porci.* Et *Galenus* 2. *de Aliment.* περὶ κερατίων, ἔστι δὲ ἔδεσμα κακόχυμόν τε, &c. *Est autem* (i e. Keratium,) *pravi succi edulium & lignosum; proinde satius est à regionibus Orientalibus in quibus nascitur, ad nos non importari.* Fuit verò ille ex *Pergamo minoris Asiæ*, à cujus latere haud longè distat versùs Orientem *Judæa*, è qua regione fieri potest hæc *Keratia* importata fuisse usque ad *Pergamum* tempore *Galeni* saltem à *Syria*, quæ utrisque fuit contermina. Sic etiam

apud

apud Ælian, Diogenes dicitur manducâsse φύλλων ἄκρα, summas foliorum extremitates.

C. 5. v. 19. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων. *Quisquis ergo solverit unum ex mandatis hisce minimis.* Sic plerique, ac si esset quædam insignior emphasis in versione ista *Mandatis hisce minimis*: verùm ego nullo modo sentio, *Christum* in his verbis aliquam sermonis magis Emphaticam affectâsse elegantiam, sed locutum fuisse receptâ phrasi & obvio sensu, trajectione in N. T. familiari, *Quisquis ergo solverit unum ex minimis horum mandatorum*, quale est illud c. 25. 40. ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, *uni ex minimis horum meorum fratrum*.

V. 42. Καὶ τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς. Rectiùs, opinor, vertitur, quam vulgò solet, *Ne avertas volentem mutuari a te.* Habet enim ἀποστρέφομαι *Activam* etiam significationem, ut & alia *Passiva* plurima in N. T. Et sic *Symmachus* legit, *Psal.* 132. 0. μὴ ἀποστραφῇς τὸ πρόσωπον τοῦ Χριστοῦ σοῦ, *Ne avertas faciem Christi tui.*

C. 6. v. 2. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Sic plerumque Interpretes, vel in eundem sensum. Versu verò priore planè dicitur, *Si eleemosynam faciatis coram hominibus ut spectemini ab iis*, μισθὸν οὐκ ἔχετε, præsenti pro futuro, *mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui est in cœlis*, adeò ut sit mera contradictio; ideòque sensus qui sequitur magis foret accommodus, si qui eleemosynam faciunt in plateis vel Synagogis, ut gloriam consequantur ab hominibus, potiùs dicantur non habituri, quàm habere mercedem suam. In cujus remedium hæc verba velim reddi omnino aliter, *Amen dico vobis, prohibent mercedem suam.* Captando gloriam

apud

apud homines, prohibent mercedem suam apud *Deum*: apud quem non sunt habituri mercedem, si eleemosynam faciunt coram hominibus, ut spectentur ab iis. Sat scio priorem sensum salvari commodè, ut aliqui putant, distinctione; Habere quidem eos mundanam & fragilem mercedem, non verò habere solidam & cœlestem. At quid opus est sensu extraneo & allegorico, quid, inquam, distinctione opus est quæ plane est coacta, si sensus sit sine distinctione planus, idque ferat verborum usus? At vero apud omnes *Lexicographos*, κωλύω, ἀπέχω, & ἐμποδίζω, ταυτὸ σημαίνουσιν, *idem significant*. Atque in hoc sensu pace doctissimorum *Bezæ* & *Grotii* accipi voluit eandem vocem *Plutarchus* in *Solone*, ubi narrans aliquid lege sancitum durius, videlicet, è meretricibus procreatos non astrictos esse lege ad alendum parentes, rationem insuper addit, verbis sequentibus. Ὁ γὰρ ἐν γάμῳ παρεχῶν τὸ χαλὸν ἑ τέκνων ἕνεκα δῆλος ὢν, ἀλλ' ἡδονῆς ἀγόμενος γυναῖκα, τόν τε μισθὸν ἀπέχει, καὶ παῤῥησίαν αὐτῷ πρὸς τὸς γενομένους ἐκ ἀπολέλοιπεν, οἷς αὐτὸ τὸ γενέσθαι πεπόηκεν ὄνειδος. Quæ verba ut sibi mutuò constent, omninò debent verti in hunc modum: *Qui nuptiarum decus vilipendit, palam ostendit se non liberorum gratiâ, sed voluptatis, mulierem ascisci, prohibeque mercedem suam, & non reliquit sibi libertatem loquendi ad natos suos, quibus ipsum nasci fecit probrum.* In eo quod non reliquerit sibi libertatem loquendi ad natos suos, ἀπέχει τ μισθὸν, *prohibet mercedem suam* alimoniæ, quam ab honestè natis liberum fuit parentibus lege postulâsse. Neque credo de distinctione illa mundanæ & cœlestis mercedis *Plutarchum* unquam somniâsse. Atque in hanc sententiam proniùs etiam feror, eò quòd apud eund.m

eundem occurrit eadem vox in eodem sensu in *libde defectu Oraculorum* versùs finem, (fortè & alibi) οὐδὲν ἀπέχει τὴν μαντικὴν ἀναδυμίασιν, *nihil prohibet vaticinandi Spiritum* &c. Quam etiam phrasin disertissimè reperire est apud *Dion. Halic.* in ipsissimo sensu: Οὐδείς με ἀφέξει φόβος μὴ οὐχ ἃ φρονῶ λέγειν: *Nullus me prohibebit terror, quo minus dicam quod sentio* In summa, in vanum recurritur ad sensum mysticum, ubi habemus literalem, atque ita statuendum in locis *parallelis* arbitror.

C. 9 v. 5. & 6. Vulgaris punctatio & importuna versuum divisio & parenthesis ita involvunt sensum, ut non sine causa dixerit *Erasmus, Orationem esse durusculam.* Ut verò facilis & plana fiat, distinguantur tantùm verba, & punctentur prout sequitur v. 5. Τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν, Ἔγειρε καὶ περιπάτει, ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας; v. 6. τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ. Ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὸν κλίνιδιον, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου. c. 8. v. 5. *Utrum enim est facilius dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula, sed ut sciatis quod filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata? 6. Tunc ait Paralytico, surge & tolle lectum tuum, & abi domum.* Vulgatissima loquendi formula posthabitâ tantùm interrogatione, Quasi diceret, *Jesus* sentiens cogitationes eorum, quod dicebant intra se, eum blasphemare, quia dixit *Paralytico, remittuntur tibi peccata*, dixit eis, unum idemque est mihi dicere, remittuntur tibi peccata, & surge & ambula, sed ut vos sciatis me habere potestatem in terra remittendi peccata, ideo dixi *Paralytico, remittuntur tibi peccata.* Sæpissimè siletur quod intelligitur; & tum demum, ut viderent utrumque sibi

sibi esse ex æquo facile, jubet *Paralyticum* surgere & tollere lectum, & abire domum, prout immediatè fecit.

V. 18. Ἄρτι ἐτελεύτησεν, *Filia mea propè defuncta est.* Neque enim omnino fuisse mortuam, patet ex historia in locis *parallelis, Mar.* 5. 23. & *Luc.* 8. 42. ἄρτι enim significat etiam τὸ ὑπόγυον, *vicinum*, & τὸ παραυτίκα μέλλον γίνεσθαι, *quod brevi* vel *illico futurum est. Phav.*

V. 23. Τοὺς αὐλητὰς, *Tibicines.* Maximè ad rem hujus loci facit quod *Servius* in *Virgilium*; *Majoris ætatis funera ad tubam proferebantur, minoris ad tibiam.* Quod etiam testatur *Statius.*

Tibia cui teneros suetum producere manes
Pelopen monstrâsse ferebant
Exequiale sacrum carmenq; minoribus umbris
Utile.

Vocatur enim hoc loco hæc *præfecti* filia κοράσιον, *puellula, Mar.* 5. 23. θυγάτριον, *filiola*, & *Luc.* 8. 42. ὡς ἐτῶν δώδεκα, *filia circiter duodecim annorum.*

Cap. 10. v. 11. Ἐξετάσατε τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστι κἀκεῖ μείνατε, *exquirite quis in ea dignus sit, & manete illic. Dignus*, i. e. *dignus apud quem maneatis.* Siletur τὸ νοούμενον, & suppletur ex verbis præcedentibus vel subsequentibus: ut *Matth.* 22. 8. οἱ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι. *Invitati non erant digni*, i. e. *digni paratis nuptiis;* Noluerunt enim venire, sed *abierunt alius ad villam, alius ad negotiationem suam*, &c. Et *Apocal.* 3. 4. *Ambulabunt mecum in stolis albis*, ὅτι ἄξιοί εἰσι, *quoniam digni sunt*, nempe *ut ambulent*, *quia non inquinaverunt vestimenta sua.* Et 16. 6. *Sanguinem eis dedisti bibere*, ἄξιοι γὰρ εἰσι, *Digni enim*

enim sunt, i. e. *digni ut bibant sanguinem, quoniam sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt.* In utramque partem vox accipitur, prout variatur sesnus.

V. 17. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *cavete ab his hominibus*, i. e. à lupis, inter quos sum vos missurus. v. 16. τῶν pro τούτων; quod adeò familiare. vide *animad.* in c. 11. v. 19. & alibi.

V. 23. Οὐ τελήσετε, *non obieritis*, i. e. Prædicando *non peregrabitis omnes civitates Israel, donec veniat filius hominis*, nempe ad excidium *Hierosolymæ.*

C. 11. v. 19. Ἡ σοφία, ἡ frequenter intelligitur pro αὕτη, ut *Luc.* 21. 23, & alibi. Sic apud *Hesychium*, τὴν δὲ ταύτην. Sic etiam *Mar.* 6. 2. καὶ τίς ἡ σοφία ἡ δοθεῖσα αὐτῷ; rectè vertit opinor *Beza*, & *quæ est* hæc *sapientia quæ data est ei?* Ut non minus etiam rectè & aptè hoc loco vertitur *Et justificata est* hæc *sapientia à filiis suis*, additur à *Luca*, *omnibus* nempe à *Scribis* & *Pharisæis*, qui se solos putârunt sapientiæ filios, qui sederunt in cathedra *Mosis*, & amabant vocari *Rabbi*, justificârunt illi sapientiam, quæ noluit attendere ad vocem vel *Christi* vel *Baptistæ* hortantium ad resipiscentiam.

C. 12. V. 18. Καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. *Et judicium annuntiabit gentibus usq; dum proferat judicium in æternum*, vel *in victoria.* Quæ interveniunt Parenthesi includenda. κρίσιν ἔοικε τὴν νόμον καλεῖν, *Judicium vocat legem suam;* τὴν περὶ τῆς ἐκκλησίας διοίκησιν, *Ecclesiæ administrationem*, *Procop.* in *Isai.* i. e. *Evangelium:* εἰς νῖκος, rectè satis, *in æternum*, ut in veteri intelligunt, & vertunt LXX לנצח, 2 *Sam.* 2. 26. *Job.* 36. 7. *Jerem.* 3. 5. & alibi: vel *in victoriâ*, ita ut *Evangelium*

gelium triumphabit in *Gentilismum*, conversis ad ejus nomen universis gentibus. Οὐκ ἐρίσει &c. *non contendet* &c. quæ in Parenthesi includuntur, monstrant in promulgando *Evangelium* lenitatem.

V. 20. Λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, *Lucernam moribundam non extinguet. Linum* per *Metonymiam* est *Ellychnium*, τυφόμενον, μαραινόμενον, *marcescens, Hesych.* in *Heb.* כבוה *fumigans, ferè extinctum. Kirch. Moribundum* legit *Persicus, Caligans* aliqui. Vide *Job.* 13. 25.

V. 43. Δι' ἀνύδρων τόπων, *per desertum. Æthiop.* Sic *Hebræum* ישים, quod proprie significat *solitudinem*, vel *desertum*, LXX sæpiùs reddunt ἄνυδρος, ut *Psal.* 106. 14. καὶ ἐπείρασαν τὸν Θεὸν ἐν ἀνύδρῳ, *& tentârunt Deum in deserto*; & *Isai* 43. 19. καὶ ἐν τῇ ἀνύδρῳ ποταμοὺς, *& in deserto fluvios.* Parabolam aptavit *Dominus* ad opinionem vulgi, quæ fortè fuit eadem quam meminit *Psellus* de *Dæmoniis*, τοῖς γὰρ μυχαιτάτοις τόποις συνδιαιτώμενα ψυχροῖς ἐσχάτως καὶ ἀνίκμοις οὖσι, *quòd versentur in locis penitissimis, quæ extremè frigida sunt & sicca.* Neque fuit hæc vana opinio: dicitur enim *Matth.* 4. 1. *Jesum subductum fuisse à Diabolo, ut tentaretur, in desertum*, in loca ubi ipse maximè versabatur. *Dæmones* enim apud *Syros* vocantur שארין, vel שארים, à שור, *vastavit, eò quòd habitent in locis vastis & desertis. Schindl.*

C. 13 v. 44. ἔκρυψε, *celavit.* Fuit Thesaurus jam occultus & absconditus, quem inventum celavit ne aliis innotesceret. Frustrà verò fuisset rursus abscondere, quod jam erat absconditum.

C. 15. v. 5. Ὑμεῖς δὲ λέγετε, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς,

καὶ

καὶ ὃ πιμήσῃ &c. Fruſtrà eſt repetere varias in hunc locum expoſitiones Interpretum, liceat mihi tantùm meam addere. Senſus ergò ſupplendus, ut opinor ego cum aliis in *Vatablo* nominatis, in *Mar.7.* 11. ex præcedentibus, quæ vel ſubaudiuntur, vel mutatis mutandis ſunt ἀπὸ τῶ κοινῶ repetenda, ut ſæpè alibi fieri ſolet, & vertendum in hunc modum. *Nam Deus mandavit, honora patrem tuum, & matrem tuam*, &c. *Vos autem dicitis*, [honorat patrem ſuum, & matrem ſuam] *quiſquis dixerit patri vel matri, Donum* [eſt] *quicquid juvatus fueris ex meo, & non honorabit* (nempe in poſterum) *patrem ſuum vel matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem veſtram.* Atque ita debere exponi, ut licitè fieri poteſt, τὸ ὠφεληθῇς, quod ſequitur in *Marco*, ſtrenuè, innuit ſi non plane indicat: in eo enim quòd dicit, οὐκ ἔτι ἀφίετε &c. *non finitis eum amplius aliquid facere patri vel matri ſuæ*, clarè monſtrat filium anteà quàm dicaverat *Deo*, ut (τὸ δῶρον hoc loco ſignificat) quicquid habuit quo parentem aleret, feciſſe aliquid patri vel matri ſuæ, i. e. perſolviſſe eis debitum alimoniæ. Dictum videtur de filio, qui pie ſolitus eſt parentem alere ſecundùm legem *Moſaicam*, uſque dum edoctus eſt à *Phariſæo*, quomodo eluderet præceptum *Dei*, & cum ſpecie etiam ſanctitatis fraudaret eos alimoniâ. Ac ſi diceret filius, cùm parentes, ut feciſſent anteà, jam rurſus peterent alimoniam, Non poſſum ego nunc vos juvare ampliùs, quicquid enim habeo eſt jam devotum *Deo*: à quo voto. ſemel obſtricti, non poterant abſolvi, adeò ut ſi filius, qui jam ſua voto devoviſſet *Deo*, beneficentiâ ſuâ parentem adjuvaret, violati voti reus fieret, ſecundùm illud *Num* 30. 2. Atque hæc fuit egregia *Phariſæorum* ſanctitas quam docebant

populum. Dum filius fictum persolvit votum *Deo*, honorat patrem, nec prævaricatur legem *Mosis*, etsi perire sinat: καὶ οὕτως ἐμέριζον αὐτοὶ μετὰ τῶν παίδων τὰ χρήματα, & *sic ipsi cum filiis partiebantur opes. Theophyl.* ἐξ ἐμοῦ, rectè vertitur *ex meo*, sive *ex re meâ*; sic τὸ ἐμὸν, *res meæ*, apud *Sophoclem*. Rogabit verò fortè aliquis quid sibi vult *honorat & non honorabit*? Expeditur in hunc modum; *honorat* parentem voto suo (secundùm *Pharisæum*) faciendo *Deum* eis propitium propter votum quod ei voverat, non tamen de futuro *honorabit* eum alimoniâ, quia quicquid habet est jam dicatum *Deo*, depositum in ærario in usum templi, i. e. reverà in commodum Sacerdotum.

Cap. 16. v. 28. *Amen dico vobis, sunt quidam ex his qui adstant, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Locus iste vix mysticè, literaliter verò non potest intelligi, nisi de adventu *Christi* ad excidium *Hierosolymæ*, qui tum verè venit in regno suo, ut triumphum ageret in *Judæos*, justam & severissimam capiendo in eos ultionem. Quosdam verò adstantium in vivis remansisse usque ad eum diem, & verum est & notum. Atque in hoc sensu verum est, *Amen dico vobis, non præteribit generatio ista, donec hæc omnia fiant*, 24, 34. Nec ante hoc tempus adventûs ejus pertransierunt discipuli omnes civitates *Israel*. 10. 23. Atque in hoc sensu remansit *Johannes* inter alios in vivis, usque dum venit *Christus*. *Joh*. 21. 22.

Cap. 17. v. 11. Καὶ ἀποκαταστήσει πάντα, & *consummabit omnia*. Sic 11. 13. *Omnes enim Prophetæ prophetârunt, & lex fuit usque ad Johannem*, dictum per *Hyperbaton*, ut explanat *Lucas* 16. 16. *Lex & prophetæ usque ad Johannem*, in eo habuere consummationem sive finem. Apud

Hesychium

Hesychium & *Phavorinum*, ἀποκατάστασις, τελείωσις, & apud utrosque, ut opinor, perperàm ἀποκαταπτύσαι, τελειῶσαι, pro ἀποκαταστῆσαι, τελειῶσαι.

V. 21. Τοῦτο δὲ τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ: *Hoc verò genus non egreditur nisi per orationem & jejunium.* De dæmoniis plerumque interpretantur, quasi esset præ cæteris malignum quoddam genus dæmonum, ad quos ejiciendos opus foret prece & jejunio. Dixit verò eis *Jesus* versu præeunte, διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν, *propter inopiam vestram fidei non potuistis ejicere, si verò habeatis fidem sicut granum sinapis*, i. e. ut *Beza, quantulum est granum sinapis, nihil impossibile erit vobis.* Non dixit propter defectum orationis & jejunii. Vocantur γενεὰ ἄπιστος, *generatio incredula*, quia non poterant ejicere. *Mar.* 9. 18. 19. Adeò ut præsentia verba respondeant aptiùs, si de fide exponantur, idque eò magis, quia γενεὰ & γένος sæpius idem significant. *Hæc verò generatio* [i e. hominum qui habent fidem sicut granum sinapis] *non procedit* vel *progreditur nisi precibus & jejunio.* Per fidem solam ejecerunt dæmonia, fides verò illa non erat à *Deo* impetranda, nisi fervidâ prece & jejunio. Neque est credibile, cùm ejicienda essent dæmonia, quæ inexpectatò sæpiùs occurrebant, eos, priusquàm ejicerent, postulâsse sibi tempus jejunandi. Parallelum etiam illud *Marci*, ubi dixit eis *Jesus*, τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν &c. *hoc genus nullo modo potest exire nisi prece & jejunio*, fortiùs arguit de fide esse, ut anteà exponendum: Improprium enim foret dicere, dæmoniorum genus non *posse* exire nisi prece & jejunio, impotentiam dæmoniis imputando, quæ fuit in discipulis propter inopiam fidei. Quod

si intellexisset *Jesus* dæmoniorum genus, respondisset (opinor) planè & appositè, ἐν οὐδενὶ δύναται ἐκβάλλεσθαι, *nullo modo potest ejici nisi prece & jejunio.* Notandum verò, τὸ ἐξελθεῖν, hoc etiam loco meliùs exponi, si vertatur, *nullo modo potest progredi* vel *procedere.* Ἐξελθεῖν enim apud *Authores* quandóque significat *progredi* vel *procedere*, i. e. in altiorem statum evehi; ut ἐξέρχονται εἰς τοὺς ἐφήβους, *progrediuntur* vel *procedunt in ephebos. Xenoph.*

C. 22. v. 13. *Tunc dixit Rex famulis, ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum & ejicite* εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, *in tenebras exteriores*, i.e. *à cœlo remotissimas*, ut *Grotius*; ἐξώτερος, ἐξώτατος. *Phavor.* Vulgatissimum enim est *comparativa* poni pro *superlativis.* Quis verò non ex his verbis mutuatum esse credat *Senecam* illud in *Agamemnone.*

Abripite famuli monstrum & avectum procul
Vincite septum nocte tenebrosi specus.

Idem enim valent *procul*, & τὸ ἐξώτερον; quale est illud etiam in *Virgilio*, *Pallentes umbras Erebi, noctémque profundam*, i e. cujus fundus quàm longissimè procul est. In quo sensu licitè & aptè exponi reor *Sap. Sol.* 17. 2. μακρᾶς πεδῆται νυκτὸς, *longinquæ* i. e. *profundæ captivi noctis*, μακρᾶς pro μακρὰν ἀπούσης, *procul distantis noctis.* De loco enim dicitur μακρὸς, etiam ut de tempore. Sic legimus apud *Plutarchum* in *Alcibiade*, διαπόντιον καὶ μακρὰν στρατείαν *transmarinam & procul distantem expeditionem*; & apud *Lucam.* 15. 13. ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακρὰν, *peregrè profectus est in regionem longinquam.*

C. 24. V. 22. *Et nisi breviati forent dies illi,*

non

non servaretur ulla caro, sed propter electos breviabuntur dies illi. Maxime recepta hujus loci interpretatio est hujusmodi. Tot & tam atroces fuisse in *Jerusalem* mutuas cædes (quod jam prædixit *Christus*,) ut nisi valdè accelerata fuisset urbis obsidio, non fuisset ullus relictus in vivis, sed ipsi se mutuò trucidâssent universi, & funditùs extirpâssent. At quoniam habuit Deus electos suos in civitate, quos servari voluit, & ex publicâ calamitate liberari, accelerare fecit *Titum* & *Vespasianum* obsidionem modis omnibus quibuscunque, atque ita dies illos breviari. Verùm potest & alter dari hujus loci sensus non minùs accommodus, capiendo vocem ἐσώθη secundùm phrasin *Sacræ Scripturæ. Et nisi dies illi*, i. e. excidii *Hierosolymæ, breviati forent, Judæorum nullus salvaretur*: nam quamdiu Templum stetit, & sacrificia, cæremoniæ & ritus *Judaici* manebant, talis erat petra scandali universæ genti, ut ferè omnes in eam impingerent, nec pauci indies devenerunt Apostatæ à Christianâ fide quam antea fuerant amplexati, eò fortè nomine & scrupulo, quòd ipsorum vetus religio esset verior, quia sivit *Deus* manere eorum Templum & sacrificia, de quorum certâ & brevi futurâ abolitione edocti fuerant in *Christianâ* fide. Ob quam etiam causam videtur eos exhortari *Author Ep.* ad *Heb.* 10.25. *ut non deserent congregationem credentium, ut quibusdam mos erat, sed ut hortarentur seſe invicem ut manerent in fide, idque tantò magis, quòd viderent diem illum appropinquantem*, i.e. *diem decurtationis, diem excidii Hierosolymæ*, & *desolationis Templi.* Namque ita dies ille hic & alibi, ut & adventus *Domini*, & finis omnium, referuntur ad excidium *Hierosolymæ.*

V. 28. "Οπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, *Ubicunque enim*

enim cadaver fuerit, ibi congregabuntur aquilæ. Cadaver notat *ſtatum Judaicum* jam expirantem, *aquilæ, vexilla Romanorum*, in quibus pingebantur aquilarum imagines. Senſus eſt ejuſmodi; Quemadmodum aquilæ ſagacitate excellentes frequenter comitantur exercitus expectatione prædæ poſt cladem, pari etiam modo *Romanos* milites præfiguratos in aquilis, quorum effigies portabant in vexillis, coactos fore in unum, ubi *Judaicus* ſtatus jacebat jam expiraturus, ſi non plane emortuus, ſub ſpe etiam & expectatione prædæ. Quærebant diſcipuli, *Luc.* 17. 37. *Ubi fierent*, quæ prædixerat futura *Dominus, ipſe verò dixit eis*, ὅπου τὸ σῶμα, &c. *ubi corpus, ibi congregabuntur aquilæ*, quaſi expreſſè denotans deſolationem & ſubitum exitium *Judæorum*, de quibus jam antea verba fecerat, non poſſe alio loco evenire quàm in ipſis, ut factum eſt, *Hieroſolymis*; idque in ſignum fore, deſolationem ibi futuram, ubi *Romani* milites in unum cogerentur, ut factum eſt, ad obſidionem illius urbis. Ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην &c. *quum autem videritis Hieroſolymam circumdari ab exercitibus, tunc ſcitote quod immineat deſolatio ejus. Luc.* 21. 20.

Cap. 27. v. 9. 10. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος, καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια (τιμὴν τιμηθέντος ὃν ἐτιμήσαντο) ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι ὁ Κύριος. *Et accepi triginta argenteos (pretium æſtimati quem æſtimârunt) à filiis Iſrael, qui vel & illi dederunt eos pro agro figuli, ſicut præcepit mihi Dominus.* Atque iſtâ diſtinctione & verſione tollitur ἡ ἀκολουθία, & incohærentia loci; & verba illa, *Quemadmodum præcepit mihi Dominus*, reſpondent rectè voci ἔλαβον, in perſonâ primâ, quo

quo modo etiam legit *Zacharias*, καὶ ἔλαβον &c. primâ personâ singulari, *& accepi triginta argenteos, & projeci illos* (sicut & hic etiam jam antea dictum retulisse eos *Judam* in Templum) ἐις τὸν οἶκον κυρίου ἐις τὸ χωνευτήριον, *in domo Domini pro conflatorio*, (ut vertunt Interpretes ἐις τὸν ἀγρὸν κεραμέως, *pro agro figuli*,) ut filii *Israel*, nempe *sacerdotes*, darent illos pro agro figuli, quod disertè dicitur v. 7. Nomen *Jeremiæ* errore aliquo insertum credo, Vocem καὶ in hoc sensu frequenter usurpari, abundè tritum est. Occurrit *Ruth.* 1. 11. μὴ ἔτι μοι υἱοὶ ἐκ τῆς κοιλίας μου, καὶ ἔσονται ὑμῖν εἰς ἄνδρας; *Nunquid ultra filii mihi in ventre meo, qui* [vel & illi] *erunt vobis in viros?* In quo loco videtur esse *Hebraismus*; est enim in *Hebræo* יהיו. Sic etiam occurrit 2 *Reg.* 23. 29. וילך המלך יאשיהו לקראתו וימיתהו במברו *Et abiit Rex Josiah in occursum ejus, qui* [vel & ille i. e. *Pharaoh Necho*] *occidit eum in Megiddo.* Reperiri est etiam apud Scriptores *Ethnicos.* *Plutarchus* habet in *Timoleonte*, ἐδείκνυον τοῖς στρατιώταις, καὶ εἰς προσευχὴν τῶν θεῶν ἐστρέφοντο, *monstrârunt eos militibus, qui* [sive & illi] *ad precandum Deos conversi sunt.* Videre est etiam in recentiore, εὐθὺς γὰρ ἐν προοιμίοις λέγεις, ὦ ἄνδρες Λατῖνοι, καὶ ἔστιν ἀνοικεῖον, *statim enim in proœmio dicis, O viri Latini, quod* [sive & illud] *est inassuetum Sgurop. Hist. Conc. Flor.* vide *Matth.* 14. 11. *Mar.* 1. 9. & 10. *Joh* 15. 6. 20. 18. *Act.* 6. 6. & alibi.

In Marcum.

MAR.c.3.v.19,20,21. Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον, καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν, καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν, ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. Versione plerumque receptâ *Jesus* dicitur apud se non esse, vel extra se esse, interpretatione (si fas sit dicere) *Filio Dei* indigna nimis, præcipuè cùm modestior poterit dari sensus & constructio, idque magis etiam accommodus. *Et veniunt in domum, & convenit iterum turba, adeò ut nè panem quidem possent edere, & audientes*, sive *quidam ab eo audientes exiverunt ut eam sisterent*, vel *comprimerent, dicebant enim quòd fureret.* Scilicet, *turba*, quæ præ stupore vel vehementi desiderio ad *Jesum* appropinquandi, ita violenter irrueret, ut cibum non possent edere. Non est τὸ αὐτὸν relativum τῷ αὐτῷ, sed voci ὄχλος : κρατῆσαι apud *Hesychium* est μένειν, i. e. *sistere, mancere facere*: καὶ ἀκούσαντες οἱ, dicitur frequenti trajectione pro οἱ ἀκούσαντες παρ' αὐτοῦ ἐξῆλθον, *Et qui audiverunt*, sive *audientes* quòd turba ita fureret, *ab eo exiverunt ut eam cohiberent.* Vel οἱ παρ' αὐτοῦ, secundum *Grammaticos* sunt, *aliqui ab eo missi.* Præterquam etiam quòd ipse *Jesus* erat intrà in domo, ita ut non possit commodè affirmari, eos qui audiverant exivisse extra domum, ut tenerent ipsum, qui erat in domo. Dicere etiam cognatos ejus e domiciliis exivisse ut tenerent ipsum, nec

est

est congruum, nec omnino verisimile. Unde enim ad eos tam cita pervasit fama, ut undequaque derepente in unum cogerentur? quòd si etiam forte id ita foret, τὸ προσῆλθον magis fuisset accommodum quàm ἐξῆλθον, *advenerunt potiùs quàm exiverunt.* Atque hanc interpretationem non possum mirari satis, cur explouerint eruditi, quæ cum sensu, & syntaxi, & more loquendi, & quod instar omnium, cum locis parallelis perfectè convenit. Dicitur enim apud *Matthæum*, 12. 23. eodem loco & tempore, ipsissimo etiam verbo, ἐξίσαντο πάντες οἱ ὄχλοι &c. *Obstupuit tota turba*, i.e. ut interpretatur *Beza*, *præ admiratione apud se non erat.* Hoc tantùm discrepat, *Matthæus* habet ἐξίσαντο, in *Passivo plurali*, *Marcus* ἐξέστη in *Activo singulari*, quos verbo Synonymo (est enim apud *Phavorinum*; ἐξίστημι, ἐθαύμασα, ἐξεπλάγην) interpretatur *Lucas*, 11. 14. καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι, *Et mirata est turba.* Loca esse parallela, ideóque pari modo exponenda, dubitabit nullus qui seriò inspexerit.

Cap. 9. v. 22, 23, 24. Ἀλλ' εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν σπλαγχνισθεὶς ἐφ' ἡμᾶς. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. Interpretes in hoc loco plerumque prætermittunt articulum, τὸ, in quo videtur esse quædam emphasis nullo modo silenda. Nè pereat ergò emphasis, nec syntaxis violetur, distingui velim verba ut suprà, & congruenter verti. *Sed si quid potes, succurre nobis misereseens nostri, Jesus verò dixit ei, si potes? crede tu, omnia credenti possibilia.* Τὸ accipitur hoc loco τεχνικῶς, & præsupponit materiam de qua agitur, nempè quæstionem de potentiâ *Christi.* Pater enim pueri, qui jam antea filium adduxerat

ad

ad discipulos, qui eum sanare non poterant διὰ τὴν ἀπιστίαν, *propter inopiam fidei.* ut dixit eis *Jesus, Matth.* 17.14. videtur dubitâsse, num etiam *Christus* eum sanare poterat, ideóque dixit, εἴ τι δύνασαι, *si tu quid potes*, discipuli enim tui non possunt, *miserere nostri.* Cui *Jesus* respondet, illicò corripiens eum cum indignatione propter incredulitatem, ac si diceret, An dubitas utrum ego possum? *si potes*, inquis? *Crede tu*, nec de mea potentia despera, *omnia enim credenti fieri possibilia.* Qualia sunt verba ejus ad *Centurionem, Matth.* 8.13. & *ad cæcos*, 9. 28. Atque hunc esse hujus loci sensum sequentia valdè arguunt. Nam continuò pater pueri exclamans cum lachrymis aiebat, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Unicum hoc erat tempus, quo unquam quæstio facta est *Christo* de potentia ejus à quoquam, qui sanari ab eo petiit; vox enim vulgò fuit. Κύριε ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι, *Domine, si vis, potes me mundare. Matth.* 8. 2. &, *Dic verbum tantùm & sanabitur puer meus.* ibidem 8. De potentiâ nulla quæstio, voluntatem tantùm implorabant, adeò ut non sit omnino mirum *Christum* hoc loco exprobrare patri pueri incredulitatem ejus. Πιστεῦσαι pro accentu potest esse vel *Aoristus* primus vocis *mediæ*, vel *Infinitivus Activæ*, subaudiendo θέλε vel μέμνησο, ut frequenter fieri solet.

Cap. 11. v. 13. Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. *Nondum enim erat tempus ficuum. For the time of figs was not yet.* Quod si unquam dixerit aliquid opportune *Vir Clarissimus*, certè emendatio ejus in hoc loco est idonea, mutando spiritum lenem in asperum (non enim sunt accentus ab authore) & legendo ἦν γὰρ ὧν, & subintelligendo ὧν, quod frequens est singulis fere paginis.

ginis. *Vbi enim fuit, tempus* erat *ficuum.* **For where he was, was the time of figs.** Atque ita historia perfectè quadrat, si referatur ad *Judæos*, apud quos æquum erat Deo, si terrarum usquam, expectare fructum, fuit enim ibi certè idoneum si non inexcusabile tempus fructuum. At non est idoneum dicere, Christum è via divertisse cum esuriret, ut adiret à longe ficum sperans in ea fructum invenire, ubi jam anteà sciret non esse tempus ficuum, præterquam etiam quod fuisset durum nimis innocenti maledixisse ficui, si in eo loco non fuisset tempus ficuum. In eo loco dico, ut quorundam objectioni satisfiat, qui unum & idem fuisse simul volunt per totam *Judæam* tempus ficuum, ideoque vanum fore legisse ℣. Varia enim fuerunt etiam in *Judæa* climata licèt parvula, ideoque etiam varia fructuum tempora, prout erat regio vel montana vel vallosa, vel meridionalis vel Arctica, &c. Nec possum reperire in authore quovis vel sacro vel prophano. vocem καιρὸς significare *feracem annum*, ut putarunt aliqui, ita ut legitimè possit verti, *Non fuit enim tempus ferax ficuum*, phrasi anglica, **For it was not a fig peare** Et si detur, non fuisset minus durum maledixisse ficui, cum *non esset annus ferax ficuum*, quam si *non* fuisset adhuc *tempus ficuum*, ut semel dicam, Non fuit vitium vel in solo vel in tempore, sola maledictionis causa erat sterilitas in arbore.

Cap. 14. v. 3. Καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον, *& concutiens ampullam* sive *vas unguentarium.* Quod si fregisset, quomodo potuit effundere? Neque eam fregisse dicitur in *Matth.* Concussit ergò vel conquassavit, ut unguentum gratiorem odorem redderet, vel ut totum effunderet,

deret, nec quicquam in imo vasis resideret. Est enim συντείβω *concutio. Gloss.vet.* & συντείβει, συνθλᾷ i.e. *conquassat. Phav* Ἀλάβαστρον dicitur ἄγχος μὴ ἔχον λαβὰς, *vas quod non habet ansas, quod minimè prehendi potest*, ab α privativâ, & λαμβάνομαι. Est etiam λήκυθος μύρου, *vas olearium*, sive *ampulla unguentaria*, apud eundem.

V. 72. Καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. subaudi ἑαυτὸν. *Et se præcipitans*, vel *dans præcipitem* vel *cum impetu projiciens*, i e. *exiliens* sive *se proripiens flevit.* Sic apùd *Theogn.* post, καὶ εἰς μεγακήτεα πόντον Ῥιπτειν, subaudiendum ἑαυτὸν monet *Stephanus*; apud quem ἐπιβάλλεσθαι est *jacere* vel *mittere*, ut etiam apud *Hesychium* ἐπιβαλεῖ, ἐπιρίψει. Adeò ut τὸ ἐπιβαλὼν hoc loco nihil aliud denotet quam τὸ, ἐξελθὼν ἔξω *Matth.* 26. 75. & *Luc.* 22. 62. *Et egressus foràs flevit amarè*, nisi quod impetum in exeundo magìs innuat.

In Lucam.

LUC. c. 1. v. 17. Versus iste, si cum venia deleatur punctum post δικαίων, exponitur meliore, ni fallor, sensu & grammatica quàm vulgò solet in hunc modum. Καὶ αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων ἑτοιμάσαι Κυρίῳ λαὸν κατασκευασμένον. *Et ipse antecedet eum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat*

vertat corda patrum ad filios, & infideles instruat in sapientia justorum p pulum paratum Domino. Nempe ut sint populus paratus *Domino.* Est enim τὸ λαὸν κατασκευασμένον appositivum τῷ, ἀπειθεῖς. *Ut convertat corda patrum ad filios*, vel ut vertit *Pagninus Malach.* 4. 5. *cor patrum super filios & cor filiorum super patres eorum*, intelligendum reor, *usque ad filios* &c. ut τὸ על & τὸ ἐπὶ quandoque significant in *veteri*, i. e. ut planè *Vatablus*, *ut convertat patres unà cum filiis.* Occurrit omninò eadem dictionis formula *Judith.* 9. 10. πάταξον δοῦλον ἐκ χειλέων ἁπάτης μου ἐπ' ἄρχοντι καὶ ἄρχοντα ἐπὶ θεράποντι αὐτοῦ. *Percute servum ex labiis deceptionis meæ super principem & principem super ministrum ejus*, ut est in versione *Latina*, i. e. ut in *Malachia*, *usque ad principem & principem usque ad ministrum ejus*, vel ut vertimus *anglicè* magis planè, **Smite by the deceit of my lips the servant with the Prince and the Prince with the servant.** Ut etiam vertit *Junius*, *Percute servum labiis fraudulentis meis* cum *Domino & Dominum* cum *servo ipsius.* Officium enim erat præcursoris, qui parabat vias Domini, resipiscentiam prædicare omnibus hominibus à patribus ad filios & à filiis ad patres, ut paratiores fierent ad recipiendum, quod appropinquabat, regnum Dei. τὸ ἐν φρονήσει δικαίων ἑτοιμάσας, & τὸ, δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας &c. v. 77. unum idemque significant, est enim tantùm verborum periphrasis, in utrisque verò locis unus idemque sensus.

V. 54, 55. Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ μνησθῆναι ἐλέους (καθὼς ἐλάλησε πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν) τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα. *Et sublevavit filium suum*

ſuum Iſrael reminiſcendo miſericordiam (ut lo cutus eſt ad patres noſtros) Abrahamo & ſemini ejus in æternum. Quàm facili remedio ingens curatur ſoloecismus? ſemen *Abrahami* ſunt fideles. Jam adimpletum eſt quod prædixit *Michæas* iiſdem ferè verbis, 7. 20. Δώσεις ἀλήθειαν τῷ Ἰακὼβ, &c. *dabis veritatem Jacobo, miſericordiam Abrahamo, quæ juràſti patribus noſtris à diebus antiquis:* & quod prædixit *David*, *Pſal.* 98. 3. ἐμνήσθη ἐλέους τοῦ Ἰακὼβ &c *Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ Jacobo, & veritatis ſuæ domui Iſrael; vidérunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.* LXX legunt in *Michæâ*, δώσει εἰς, pro δώσεις; ſed hoc fuiſſe ſcriptoris vitium nullus dubito.

C. 2. V. 34. 35. Ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον (καὶ σοῦ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία) ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί. *Ecce poſitus eſt hic in caſum & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur (& tuam ipſius animam pertranſibit gladius) ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Atque huic lectioni & verſioni conſentiunt plerumque interpretes, quid verò velit ſibi *gladius* iſte, non conſentiunt. Alii de *mœroris gladio* interpretantur, qui cor penetraret matris cum ſpectaret miſerandam paſſionem filii. Alii de *gladio diffidentiæ*, quo perculſa eſt cum videret ipſum mori, quem credebat eſſe Deum, uſque dum per reſurrectionem & reſtituta & confirmata eſt in fide. Alii de *gladio calumniæ* vel *opprobrii*, qui pertranſibat animam, cum audiret impios & incredulos *Judæos* & *Romanos* contumelias ſuas in filium conjicientes, quales ſunt *Matth.* 27. 42.

Alios

Alios salvos fecit, seipsum non potest salvare: si rex est Israel descendat nunc de cruce, & similia. Et pro proprietate metaphoræ singulus interpres habet exempla suo sensui accommoda, verùm quam interpretationem velis capias, non est una, quæ sine vi potest applicari scopo loci, ideoque videntur verba abrupte interposita, eoque nomine à textu reliquo parenthesi divisa. Cum ergò vulgaris sensus ita sit incommodus, quid ni tentemus lectionem, constructionem & interpretationem aliam, quæ fortè magis apta, certè magis plana, nec à grammatica aliena? Qualis hæc est. Ἰδὲ οὗτος &c. sine parenthesi, *Ecce positus est hic in casum & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur, imò tuus quoque gladius pertransibit animam, ut revelentur multorum cordium cogitationes.* Quasi familiari trajectione legeretur, καί σου αὐτῆς ῥομφαία τὴν ψυχὴν διελεύσεται, ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν &c. τὴν ψυχὴν, i. e. αὐτῶν ψυχὴν. ut frequenter intelligitur. Sensu sequenti in hunc modum. *Et ut revelentur multorum cordium cogitationes, tuus & etiam gladius pertransibit* eorum *animam* i. e. *Verbum Dei* quod procedet ex ore tuo, quod penetrantius erit quovis gladio, pertransibit multorum corda, adeò ut revelet ipsorum intima secreta. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, &c. *Sermo enim Dei vivus & efficax & acutior gladio, qui binas habet acies, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus,* —— *& discretor cogitationum & intentionum cordis. Heb.* 4: 12. Adeò ut metaphora ista non sit huic loco omnino incommoda. Occurrit etiam in eodem sensu, *Apocal.* 1. 16. ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα, & 19. 15. ῥομφαία ὀξεῖα. *Et ex ore ejus procedit*

cedit gladius acutus. Qui, ut inquit *Grotius*; *est Evangelicus sermo ex ore Christi proficiscens, qui intima penetrat, neque actiones tantum, sed & cogitata bona malaque discernit.* Sic *Eph.* 6. 16. habemus *gladium spiritus quod est verbum Dei.* Et quid mirum si mater *Domini* gladio spiritus, i. e. verbo Dei ex ore suo prodeunte ita penetrarit multorum corda, ut *occulta eorum manifesta eis facta sint?* ut loquitur Apostolus 1 *Cor.* 14. 15. Quis dubitet quin divinum ejus *Magnificat* penetrarit omnium auditorum corda? Occurrit etiam eadem Metaphora sæpius in *Psalmis.*

C. 3. v. 19. 20. Ὁ δὲ Ἡρῴδης ὁ τετράρχης ἐλεγχόμενος ὑπ' αὐτοῦ περὶ Ἡρῳδιάδος τῆς γυναικὸς Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ (καὶ περὶ πάντων ὧν ἐποίησε πονηρῶν ὁ Ἡρῴδης) προσέθηκε καὶ τοῦτο ὀπὶ πᾶσι καὶ κατέκλεισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ. *Herodes autem Tetrarcha cum corriperetur ab eo de Herodiade uxore fratris sui Philippi (etiam præ omnibus quæ fecerat malis Herodes) addidit & hoc super omnia & inclusit Johannem in carcere.* **But Herod the Tetrarch being reproved of him for Herodias his brother Philips wife (even above all the evills which Herod had don) added yet this to all, and shut up John in prison.** περὶ sæpius *præ*, ut περὶ πάντων ἔυχομαι *præ omnibus opto te prosperè agere & valere*, 3 *Joh.* 2. & περὶ πάντων θέλειν *præ omnibus cupere. Dion. Halic.*

Cap. 3. v. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν &c. Hæc verba optimè, opinor, exponuntur per metathesim, quasi legeretur, Καὶ ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, αὐτὸς ἀρχόμενος ὢν &c. *Et erat Jesus circa*

circa triginta annos natus, ipse incipiens existens (ut putabatur) filius Joseph &c. i. e. ἀρχόμενος βίβλον γενέσεως, *incipiens genealogiam, scilicet* paternam ascendendo, ut maternam recensuit *Matthæus* descendendo; non enim aptè vel significanter dicitur, *Jesus incœpit esse quasi* vel *circa triginta annos natus*, est enim tautologum vel dubium, eò quòd τὸ ὡσεὶ indefinitum tempus significat, videlicet circà, vel pòst, vel antè.

Cap. 6. v. 35. καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, & *mutuum date nihil inde sperantes*. Nusquam verò apud *Authores* τὸ ἀπελπίζειν in eo sensu reperitur. Meliùs ergò legitur cum *Apostrophe*, μηδὲν ἀπελπίζοντες, & vertitur in *Hebræorum Hiphil, neminem desperare facientes*, ut intellexerunt *Syrus*, *Arabicus*, & *Persicus* interpres. Quale est illud in *Matth.* 5. 42. τὴν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς, *nè avertas volentem à te mutuari*, i.e. ἀπελπίζειν. In quo sensu habetur verbum *Isai.* 29. 19. οἱ ἀπηλπισμένοι τῶν ἀνθρώπων, *desperati homines implebuntur lætitiâ*. Et *Ecclesiastic.* 27. 24. ὁ δὲ ἀποκαλύψας μυστήρια ἀπήλπισεν, *qui autem denudavit mysteria, desperavit*, i.e. *desperare fecit:* quale est illud in *Plinio*, lib. 22. c 24. *Ulcera jam desperantia cicatrice includit*, i. e. quæ medicos faciunt desperare sanationem.

C. 7. v. 30. Τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς: vulgari trajectione, *spreverunt voluntatem Dei erga semetipsos, qui eos voluit ad pœnitentiam vocari per* Baptistæ *prædicationem & baptismum.*

C. 11. v. 41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν, *imò quæ intus sunt date eleemosynam, & omnia vobis erunt*

munda. ἔνεστιν ἀντὶ τοῦ ἐντός ἐστιν, & ἐνεὶς, ἐνδέμυθα. *Phav.* Allusione habitâ ad superiùs dicta, τὰ ἐνόντα sunt, τὰ ἔσωθεν τῶν ποτηρίων, juxta locum *parallelum. Matth.* 23. 26. Καθάρισον πρῶτον τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου, ἵνα γένηται καὶ τὸ ἐκτὸς αὐτοῦ καθαρόν. *Purga priùs quod intùs est poculi, ut id quoque quod extra est fiat purum.* Quasi diceret, Vos *Pharisæi* quidem pulchram præ vobis fertis speciem ad extrà, longas facitis precationes, & datis eleemosynas pauperibus in plateis, intùs verò estis rapinâ pleni. At verò si velitis omnia quæ habetis fieri munda, i. e. accepta Deo, date pauperibus hæc malè parta omnia, τὰ ἔσωθεν, & τὰ ἐνόντα, quæ intùs latent occulta ab oculis hominum, hoc enim est verè purgare interius poculi. Frigidum foret dicere, *Date pro facultatibus*, vel *ex omnibus quæ habetis.* Non ita certè voluit *Dominus.* Omnia verò ex rapinâ malè parta erant priùs penitùs refundenda, quàm quicquid darent acceptum foret *Deo.*

Cap. 12. v. 49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, καὶ τί θέλω; εἰ ἤδη ἀνήφθη, &c. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo? utinam jam accensus esset. Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo constringor usque dum perficiatur?* Vox est turbati animi, cujus parallelum est videre *Joh.* 12. 27. *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater libera me ab hac hora, sed propterea veni in hanc horam, glorifica Pater nomen tuum.* Optimè utriúsque loci sensum exprimit *Calvinus* in suo commentario in *Joh.* in verba illâ, *Et quid dicam?* quæ idem volunt ac *quid volo?* *Hic tanquam sub oculis cernimus, quanti constiterit salus nostra filio Dei, dum in ultimas angustias redactus neque verba invenit quibus exprimat doloris vehementiam, nec consilium secundum hominem. Quod autem*

autem unum restat, confugit ad preces, & se liberari à morte postulat. Rursum quia simul videt se æterno Dei consilio destinatum esse victimam pro peccatis, votum illud, quod ingens mœstitia expresserat, mox corrigit, & quasi injecta manu seipsum retrahit, ut totus acquiescat Patris arbitrio. Ei ponitur pro εἴθε, *utinam.* Quo sensu legit *Origenes*, Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, καὶ εἴτε δὲ ἐκάη, *Ignem veni mittere in terram, atque utinam jam arsisset*, ut *Interpres.* Sic εἰ sæpiùs accipitur apud Authores *Ethnicos*, ut videre est apud *Stephanum*, & apud LXX, ut *Num.* 14. 2. ἢ ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ εἰ ἀπεθάνομεν, *vel in deserto hoc utinam fuissemus mortui:* & *Jos.* 7. 7. καὶ εἰ κατεμείναμεν &c. *Et utinam mansissemus & habitassemus apud Jordanem*, & alibi. Nec multum differt illud *Luc.* 22. 42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ, *& positis genibus precatus est dicens, Pater, Utinam*(ut interpretatur *Grotius*) *velis transferre hoc poculum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Πῦρ hoc loco denotat, ut videtur 51. διαμερισμὸν, *divisionem*, quia fortè ignis dissipat, alibi *persecutionem* sive *afflictionem*, idque sæpiùs. *Matthæus* vocat μάχαιραν. 10. 34.

C. 13. v. 9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν· εἰ δὲ μήγε &c. Κἂν potest intelligi pro Καὶ ἂν & quidni τὸ ἂν sit hoc loco συνητικὸν, & perfecta sit oratio absque *anantapodoto* vel *aposiopesi* vel *supplemento? Dimitte eam & hoc anno, usque dum fodero circà illam & stercus misero, & poterit quidem fructum ferre, sin minus, in posterum e cindes eam. Anglice*, **Let it alone this year also, till I shall have dig'd about it and cast in dung, and it may bear fruit, but if not, thou shalt afterward cut it downe.** Quale

est illud apud *Isocratem*, ὅπω χὴ ἀμφοτέρων ὑμεῖς πεπείρασθε, ὥστε ἄριστ' ἂν διδάξητε &c. *ita enim in utrisque vos experti estis, ut ea optimè docere possitis*. Vide plura de ἂν συνημμένῳ cum *Subjunctivo* apud *Stephanum*, *Budæum*, & alios.

Cap. 13. v. 33. Ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, *quia non fieri potest, ut Propheta pereat extra Jerusalem.* Atque in eo sensu vox ἐνδέχεται frequenter occurrit apud *Epicurum*; ἔστι τε ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἴδιον ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς, ἐνδέχεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου: *Fieri etiam potest Lunam habere lucem ex se, fieri autem potest à Sole.* Et quo minùs aliter fieri posset, quin Prophetæ perirent omnes in *Hierosolymis*, optimè observavit *Drusius*, *Prophetas non judicari nisi à Judicibus Sanhedrim, qui Hierosolymæ residebant in exedrâ domûs* [*sanctæ,*] ideóque sequitur, *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas.* &c.

Cap. 15. v. 4. Οὐ καταλείπει τὰ ἐνενηκονταεννέα, ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ πορεύεται &c. *Non relinquit nonaginta novem, & vadit in desertò post eam quæ perdita est?* Sic *Matth.* 18. 12. ὀπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς, *profectus in montes quærit eam quæ erravit?* Desertum & montes idem valent. Locus ubi vixit & docuit *Baptista*, *Matth.* 3. 1. vocatur ἔρημος τῆς Ἰουδαίας, *Desertum Judææ*, & ubi habitavit *Zacharias*, *Luc.* 1. 39. ἡ ὀρεινὴ, *montana* [*Regio.*]

Cap. 18. v. 5. Ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με. *Ne veniendo in fine fatiget me.* **least by her coming in the end she weary me.**

V. 7. Καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς; subaudi ἔσται, ut *Vet. Lat.* ἐπ' αὐτοῖς, bifariàm exponitur. Si *Electos* intelligas, vertendum, *Et habebit*

habebit diu patientiam propter illos? ὅτι enim apud *Grammaticos* cum *Dativo* sæpè significat *propter*. Quod si verò, *adversarios*, quod nec omnino incongruum, ut etiam videntur feciſſe illi qui vertunt, *& in longum differet iram in illos?* reddendum erit, *et patientiam habebit diu erga illos?* nempe *adversarios electorum*, cujus nominis fit mentio v. 3. in parabolâ viduæ, quo modo vertunt aliqui *Eccleſiaſtic.* 35. 18. οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς ὁ Κραταιὸς, *neque patientiam habebit diu erga illos Fortiſſimus*; intelligendo *Gentes, ſuperbos*, & *iniquos* qui immediatè memorantur. Vide etiam *Matth.* 18. 26.

V. 8. Πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ὅτι τῆς γῆς; *Verùm cùm filius hominis venerit, an inveniet hanc fidem in hac terrâ?* ſcilicet *Judæa*: τὴν pro ταύτην, & τῆς pro ταύτης, frequentiſſimum: τὴν δὲ τὴν χώραν, *hanc verò regionem. Plat. in Timæo.* Eminenter dicitur 21. 23. ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ὅτι τῆς γῆς καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ: *Erit enim preſſura magna in hâc terrâ* [Judææ] *et ira in populo iſto.* Vide *Matth.* 11. 19. Senſus eſt, cùm filius hominis venerit ad excidium *Hieroſolymæ*, [ita enim adventus ejus frequenter intelligitur] an inveniet hanc fidem? i. e. ſimilem in terrâ *Judææ*, nempe fidem quæ obtundet *Deum* precibus, (qualis erat fides importunæ viduæ, quæ tandem exoravit injuſtum Judicem,) quæ continuò precabitur, & non deficiet, ut præceperat *Dominus* v. 1.

Cap. 22. v. 32. Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, Fateor ſæpiſſimè in *N. T. Paſſivum* accipi pro *Activo*, & quandoque, licèt rariùs, *Activum* pro *Paſſivo*, ut id verò hoc loco fiat, nulla omninò mihi videtur cogere neceſſitas, cùm propria interpretatio è contrario magis conveni-

at ſcopo loci. *Dixit Petro Dominus, Simon, Simon, eccè Satanas expetivit ut te cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te nè fides tua deficeret, et tu aliquando cùm converteris, confirma fratres tuos*, i. e. per *trajectionem* valdè familiarem, *cùm tu converteris*, in futuro *Activo Subjunctivo*, *fratres tuos*. Quaſi diceret, ut ego rogavi pro te ne fides tua deficeret, cùm te tentaverit *Satan*, ſimiliter & tu cùm converteris aliquando ad fidem aliquos è fratribus tuis, [*Apoſtolus* enim erat ad *Circumciſionem*] confirma eos etiam tuis precibus, nè deficiat fides, cùm tentaverit eos *Satan*: Parem charitatem petit. Ac ſi legeretur, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας τὸς ἀδελφός σε, ϛήριξον [αὐτὸς] quod ſæpe ſubauditur. Eadem loquendi formula frequenter occurrit, ut verſu 54. συλλαβόντες ἤ ἀυτὸν ἤγαγον, pro ἤγαγον ἀυτόν, Comprehendentes autem eum, duxerunt eum, accuſativum ἀπο τῆς κοινῆς repetendo, vel relativum ſubaudiendo. Vide *Animad Act.* 13. 27 Quod ſi vulgari ſenſu exponitur, legendum foret propriè in *Paſſivo*, καὶ σύ ποτε ἐπιστραφεὶς, neque verò videtur valdè proprium dicere, *Et tu aliquando cum converſus fueris*, qui jam anteà certè converſus erat, etſi poſtea ceciderit, ut prædixit ei *Dominus*. Nolunt enim, opinor, ſtatuere momentum converſionis *Petri* in gallicinio, quod ſi ita faciant τὸ ποτε, in vanum dicitur, magis enim [τὸ aliquando] diſtans tempus innuit, quàm paucarum horarum ſpatium.

In Johannem.

JOH. cap. 4. v. 17. Καλῶς εἶπας. Dictum *Ironicè. Dixisti bellè.* **Thou hast spoken fairly.** Non verò dixit benè, vel mentiens, vel loquens æquivocè.

V. 29. Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός; *Nonne hic est ipse Christus?* Vox est affirmantis & non dubitantis, ut manifestè arguit oratio sequens v. 42. *Non amplius propter sermonem tuum credimus, ipsi enim audivimus, & scimus quòd hic est verè salvator mundi, ipse Christus.* In quo sensu usurpatur μήτι *Matth.* 12. 23. & τὸ μὴ, infrà 18. 17. & 25.

C. 5. v. 4. Ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς &c. *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat. Multa concurrebant* (ut ait Grotius) *ne naturalis per aquam medicatio crederetur.* Et ego hoc unum opinor esse satis, quod nemo sanabatur nisi qui primus ingrediebatur post motionem aquæ. Uno tantum aquæ motu sanabatur unus. Quod si medicatio fuisset naturalis, cur non omnes, qui festinarunt procul dubio sub idem tempus ingredi, sanabantur? Certè fuit in hoc negotio supernaturale aliquid, nec est opus ultra rationem inquirere, cum habeamus testem authoritatem *Evangelicam.*

C. 7. v. 22. Διὰ τοῦτο Μωσῆς δέδωκεν, &c. *Propterea Moses dedit vobis,* &c. At sine dubio, διὰ τοῦτο, melius referuntur ad antecedentia, καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο. Μωσῆς δέδωκεν, &c. *Et omnes miramini propter illud.*

Moses dedit vobis circumcisionem, &c. τὸ θαυμάζειν, cum *Præpositione* familiare, ut ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, *& mirabatur propter incredulitatem eorum. Mar.* 6. 6. & alibi. Atque ita cessat omnis disquisitio de insolentia phrasis, vel de verborum inconsequentia.

C. 8. v. 4. ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη. *Hæc mulier deprehensa est in ipso facinore*, ut *Beza*, *modò*, ut *Vetus*, *apertè* ut *Syrus*. Verùm ego rectius opinor scribi cum apostrophe, ἐπ' αὐτοφώρῳ, ut passim scribitur apud authores *Ethnicos*. *Hæc mulier deprehensa est in sui ipsius conspectu adulterans.* Adeò ut ipsa sui sit ita conscia facta adulterii, ut id nulla facie negare poterit. Ab αὐτὸς & *præterito perfecto* verbi ὁράω, πεφώραμαι. Ideoque rectè *Phaverinus*, ἐπ' αὐτόπτῳ, ἐπ' αὐτοφώρῳ, & αὐτόφωρος ὁ ὑφ' ἑαυτοῦ ἐλεγχόμενος καὶ πεφωραμένος ὤν, *qui à seipso redarguitur*, & *conspectus est.*

C. 11. v. 10. Ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ *Quoniam lux non est in eo*, i. e. *in mundo. Si quis ambulat in die non offendit*, ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου βλέπει, *quia videt lucem mundi; at si quis ambulat in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Non enim, opinor, convenit interpretari de *homine*, ut *doctissimus Beza*, & alii.

V. 33. Ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν: *Ingemuit Spiritu qui turbavit ipsum.* Eadem dicendi formula occurrit sæpiùs in *N. T.* & etiam apud *Evangelistam*, ut videre est in *animad.* 15. 6. 20. 18. *Apocal* 1. 6. ex *Hebræorum* idiotismo, ut ait *Beza*, quam dum non observant Interpretes, syntaxin etiam turbant, & sensum, ut hoc ipso loco; ἄλογον enim foret dicere, *Jesum turbare semetipsum.* Priore verò sensu omnino idem dicitur 13. 21. ἐταράχθη τῷ πνεύματι, *turbatus est Spiritu.*

V. 39.

V. 39. Τεταρταῖος γάρ ἐστι, *Est enim quatriduanus.* Non possum quin apponere in hunc locum animadversionem *Quistorpii*, nempè, *Rasim scriptum reliquisse, lege constitutum fuisse, ut Apoplectici non sepelirentur nisi post septuaginta duas horas; idque optimè sancitum esse, eò quia omnes humores perfecerunt tribus diebus motus suos, nempè horis 72. unde transacto termino motus humorum, non est quidquam ultrà expectandum.* Atque hinc inferre, *Christum à mortuis suscitâsse Lazarum quatriduanum, ut nullus locus naturaliter speculantibus relinqueretur objiciendi*: qui negassent fortè miraculum, si ante id tempus eum suscitâsset.

Cap. 13. v. 10. Ὁ λελουμένος οὐκ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος. *Qui ablutus est, non opus habet vel ipsos lavari pedes, sed totus mundus est.* Quid enim opus est lavare ejus pedes, qui jamjam lavatus totus est à capite ad calcem. Sequitur, *Et vos mundi estis, sed non omnes, sciebat enim quisnam esset qui traderet eum* Sed hoc non erat quod tum voluit *Jesus*, sed ut ipsos doceret humilitatem suo exemplo, sicut patet ex sequentibus. *Ad significandum quod tunc voluit, satis erat pedum lotio. Clarius.*

Cap. 15. v. 6. Ἐὰν μή τις μείνῃ ἐν ἐμοὶ, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη. *Si quis in me non maneat, projicitur foras, ut palmes qui exaruit.* Habet eandem phrasim *Evangelista*, 20. 18. ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ, *quod vidisset Dominum* qui *ea sibi dixisset:* ut vertit Beza τὸ καὶ, non solum in eo loco, sed etiam *Luc.* 15. 15. *Act.* 6. 6. 7. 10. & alibi. Vide animad. in *Matth.* 27. 10. & *Apocal.* 1. 5. 6. & *Act.* 2. 2.

V. 20, Εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν, εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσι

τηρήσωσι. Verbum τηρεῖν absque dubio non debet hoc loco sumi pro *servare*, vel *custodire* simpliciter, ut vulgò solet, sed in deteriorem partem potiùs accipi, & videtur poni pro παρατηρεῖν, *insidiosè observare, Anglice*, to watch, eodem sensu quo dicitur *Luc.* 14. 1. καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτὸν, *Et ipsi observabant eum*, And they watched him; nempè *ut captarent quod in eo reprehenderent*, ut animadverit *Stephanus*; & 20. 20. καὶ παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ἵνα ὑποκρινομένους αὐτοὺ λόγου, *Et observantes eum miserunt insidiatores, ut caperent eum in sermone.* Atque istum hoc loco esse sensum verborum ἐτήρησαν & τηρήσουσι, valdè innuit quod τὸ, εἰ ἐτήρησαν ita aptè respondeat & conveniat deteriore sensu cum τοῦ, εἰ ἐδίωξαν. Clarè verò arguit totius sermonis series, repetendo à versu 18. Εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, &c. *Si mundus vos odit, scitote quòd me priùs oderit quàm vos. Mementote sermonis quem dixi vobis, Non est servus major Domino, si me persecuti sunt, & vos persequentur, si meum sermonem observaverint, & vestrum etiam observabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Omnia certè in malam partem. Nec est omninò insolens vocis τηρεῖν pro *observare* notio, ut videre est apud *Stephanum. Convenit* enim τὸ τηρέω *cum voce Heb.* שָׁמַר *servavit, quæ in utrumque partem sumitur, plerumque in malam. Observavit aliquem ut in eum commodo tempore iram & vindictam effunderet*, ut ingenter meritus de republica literaria *Castellus* noster habet in *lexico* suo *Heptaglotto.* Ut eandem etiam vocem *Munsterus* vertit. *Jer.* 3. 5. *Nunquid observabit in saculum?* cui respondet *Deus*, 12. *non observabo in æternum.* Nempè ut iram meam & vindictam

in

in vos effundam, Quo modo & sine observaverunt *Pharisæi* sermonem *Domini*. In quo etiam sensu sæpiùs occurrit vox שמר in *veteri*; ut *Psal.* 56. 7. עקבי ישמרו, *vestigia mea observabunt*, τὸ πάσχειν με φυλάξωσι: & 71. 11. ושמרי נפש, & *observatores animæ meæ consultant pariter*, καὶ οἱ φυλάσσοντες τὴν ψυχήν μου ἐβουλεύσαντο ὅμοιον, *Anglicè*, They that lay wait for my soul consult together: In margine *Hebr.* watch, or observe. In quibus utrisque locis æquè legitimè, nec non uno eodémque sensu verti poterat, τηρήσουσιν & τηροῦντες, pro φυλάξωσιν & φυλάσσοντες. Fateor me debere primam notionem hujus animadversionis Eximio viro *Claudio Sarravio*, in cujus Epistolis eam repereram.

Cap. 16. v. 26. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐν τῷ ὀνόματί μου αἰτήσεσθε, καὶ οὐ, λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα περὶ ὑμῶν. *In illo die in nomine meo petetis, & non, dico vobis, quod ego rogabo patrem pro vobis, ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quòd ego à Deo exivi*: τὸ, λέγω ὑμῖν, *dico vobis*, respondet utriq; membro, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ; quasi diceret, *In illo die, dico vobis, petetis in meo nomine, & non*, vel *sed non, quod ego rogabo patrem pro vobis, ipse enim pater* sine mea intercessione *audiet vos*, dummodo in nomine petatis meo, *quia amat vos ideo quia vos amastis me, &c.* vel τὸ, λέγω ὑμῖν parenthesi includatur.

V. 30. Νῦν οἴδαμεν ὅτι οἶδας πάντα, καὶ οὐ χρείαν ἔχεις ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ, ἐν τούτῳ πιστεύομεν ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθες. *Nunc scimus quod nôsti omnia, nec opus habes ut quis te interroget, propter hoc credimus te à Deo exivisse.* Si quis quærat, quid sibi velit, *non opus habes ut quis te interroget*, retrospiciat

retrospiciat versum 19. ubi dicitur *Jesum* cognevisse quòd volebant eum interrogare, etsi tamen dixerunt tantùm inter se, *quid est hoc quod dicit nobis? Modicum & non videbitis me*, &c. Propter hoc nunc ergo aiunt se credere eum à Deo exivisse, quia novit quid ipsi in animo agitarent, nec opus habuit ut illi eum priùs interrogarent; Θεὸς γὰρ εἰδέναι τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας, *Deus enim est scire occulta cordis. Theophylact.*

Cap. 20. v. 17. Μή μου ἅπτου (οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου) πορεύου δὲ &c. Et sic legit *Plantini vetus*, & interlinearis cum *parenthesi*; *Noli me tangere* (*nondum enim ascendi ad Patrem meum*) *vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.* Noluit eam in ejus amplexu immorari, sed ut confestim iret ad discipulos, & eos tam beato nuncio, nempe eum nondum ascendisse, sed brevi ascensurum, reficeret, qui proculdubiò manebant omnes perturbati & exanimes.

Cap. 21. v. 22. *Et si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Atque hoc sermone innuere voluit *Dominus Johannem* reverà mansurum in vivis donec ipse veniret, sicut ipso facto vixit, nempe ad *excidium Hierosolymæ*, & triginta annos postea, si qua fides Chronologis: in quo numero censendi illi, quos tunc adstantes *non gustaturos mortem affirmat* Jesus, *donec viderent filium hominis venientem in regno suo Matth.* 16. 28. *De excidio Hierosolymæ* passim intelligitur *adventus* Domini & *regnum* Christi, quod tamen eo tempore non innotuit, *Exiit enim sermo iste inter fratres, discipulum illum non moriturum.* Atque hoc errore seductus *Tertullianus* affirmavit *falsam fuisse spem illorum, qui Johannem in adventum Domini remansurum expectabant, obiit enim & Johannes*

Johannes. Non enim intellexit ille de *adventu Domini* in ultionem *Judæorum* ad *excidium Hierosolymæ*, sed de ultimo in extremum judicium.

In Acta Apostolorum.

ACT. c. 1. v. 4. Παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός, ἣν ἠκούσατέ, μου. Verba hæc vertuntur rectiùs quam vulgò solent sine supplemento salvâ syntaxi, & accommodo sensu in hunc modum. *Præcepit eis, nolite ab Hierosolymis discedere, sed exspectate promissionem patris, quam audistis, mei.* Eundem habemus sensum ferè ipsissimis verbis in loco *parallelo Evangelii Luc.* 24. 49. *Et ecce ego mittam promissionem* πατρός μου, *patris mei in vos, vos autem residete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Vide etiam *Joh.* 14. 26. 15. 26. Violenta verò est constructio, μου pro ἀφ' ἐμοῦ, Elleipsi etiam valdè familiari *Infinitivus* usurpatur pro *Imperativo*, subaudiendo vocem θέλετε, vel simile, antè τὸ χωρίζεσθαι, & τὸ περιμένειν. Qualia exempla sunt frequentissima apud *Phocilidem*, in unoquoque ferè carmine.

Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, ἀλλ' ἐξ ὁσίων βιοτεύειν.
Ἀρχεῖσθαι παρεοῦσι, καὶ ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι,
Πᾶσι δίκαια νέμειν, &c.

Nè ditescas injustè, sed ex justè partis vive.
Esto contentus præsentibus, & ab alienis abstine,
Omnibus justa tribue.

Necnon etiam in *N. T. Rom.* 12. 14, 15. Ἐυλογεῖτε καὶ μὴ καταρᾶσθε, χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων. *Benedicite & nolite malè dicere, gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* vide etiam *Ruth* 1. 6. *Matth.* 5. 39. *Luc.* 5. 14. *Act.* 23. 22. & 24.

Cap. 1. v. 25. Σὺ Κύριε καρδιογνῶστα πάντων, ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα, ὃν ἐξελέξω, λαβεῖν τὴν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, i. e. εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον τοῦ Ἰούδα, vel εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ. Atque ἴδιον hoc loco posse accipi pro αὐτοῦ, clarè indicat *Oecumenius* in expositione sua in hæc verba, τόπον δὲ ἴδιον, ἤτοι ἀγχόνην καλεῖ, &c. ἢ ὅτι, τοῦ Ἰούδα ἐξαπωσμένου, οὗτος ἴδιον φόνη, τὴν ἐκείνου λαμβάνων ἐπισκοπήν. *Locum suum, vel suspendium nominat, &c. vel quoniam Juda lapso* vel *amoto, ille qui accipit ejus Episcopatum, habeat ejus locum.* Nec quid aliud potest hoc loco *Oecumenii*, τὸ ἴδιον, significare, quàm τὸν ἴδιον τόπον, *locum ejus*, in quem oportuit *Matthiam* succedere, ut ex his ipsis verbis rectè animadvertit *Clarius*. *In locum suum, si ad Judam referas, videtur intelligere laqueum, quo se dignum judicavit ob proditionem, sin ad Matthiam, intellige Episcopatum cui successit*, i. e. *Apostolatum*, nondum enim constituti erant Episcopi, nisi Episcopatum munus intelligas. *Suus* pro *ejus* frequentissimè usurpat *Cicero*, idque *Græcorum imitatione* affirmat *Budæus*, *Suus enim non modò* τὸν ἴδιον ἑαυτοῦ, *sed etiam* τὸν ἴδιον αὐτοῦ *significat*, & *utroque modo accipitur apud Græcos*, ut οἱ sæpissimè pro *sibi*,

&

& pro *ei*. *Bud.Com.pag.* 28. Adeò ut genuina interpretatio sit hujusmodi. *Tu Domine, qui corda nôsti omnium, ostende ex his duobus unum, quem elegeris, accipere sortem hujus ministerii & Apostolatûs, à quo descivit Judas, ut adeat locum ejus,* nempè ut is quem elegeris, succedat in locum ejus qui descivit, i. e. in locum *Apostolatûs Judæ*. Πορευθῆναι εἰς τ τόπον, est eadem phrasis ac πορεύεσθαι εἰς τὰ κτήματα apud *Demosthenem*, quam *Budæus* interpretatur, *Hæreditatem adire; Hæreditatem* enim *adire* apud *Ciceronem*, est *Hæreditatem subire* vel *susscipere, & se hæredem profiteri*, ut rectè exponit noster *De sacra Quercu*, Anglicè **To enter upon, or to take upon one the inheritance.** Atque hæc interpretatio mihi videtur rationi magis consona, quàm eorum, qui interpretantur de ipso *Judâ*, quasi *Lucas* vellet ipsum abiisse *in locum suum*, nempè ut volunt in *Gehennam*. Non enim credo aliquid ejusmodi unquam in animum ascendisse *Evangelistæ*, suspicio verò cum *Chrysostomo*, τὸ φιλόσοφον τῦ ἀνδρὸς, πῶς οὐχ ὑβρίζει, &c. *prudentiam viri, quomodo non dicit contumeliam, non insultat, &c.* Quod planè arguit eum non sensisse *Lucam* in inferos adjudicâsse *Judam*, quid enim magis contumelioſum dixisset *Lucas*, quàm eum abiisse *in locum suum*, si intelligas *Gehennam*? Neque fuit *Historici* vel *Evangelistæ* suam sententiam adeóque severam interponere, sed *Judam* reliquisse judicio *Dei*; satis erat ei rem de facto enarrâsse, ut promiserat in initio Evangelii, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται &c. *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio fuerunt spectatores,* vel *oculati testes*, &c. Quem verò spectatorem dixeris *Judæ* in inferis?

Cap. 2. v. 2. Καὶ ἐθάμβησε ἄφνω ἐκ τῦ οὐρανῦ ἦχ-

ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον ὅπου ἦσαν καθήμενοι. *Et factus est repentè de cœlo sonus tanquam irruentis vehementis flatus, & replevit totam domum ubi erant sedentes.* Τὸ, καὶ, hoc loco primo intuitu, etiam & Grammaticè copulat τὸ ἦχος, & ἐπλήρωσεν: Sed certè flatus intelligitur qui replevit domum, & non sonus; ἐπλήρωσε δὲ ὅλον τὸν οἶκον ἡ πνοὴ κολυμβήθρας τάξιν ἀναπληροῦσα, ἐπεὶ καὶ ἐπήγγελτο αὐτοῖς, ἐν πνεύματι βαπτισθήσεσθε καὶ πυρὶ: *Replevit domum totam flatus* sive *spiritus, Baptisterii sive lavacri vicem supplens, quoniam promissum erat illis, baptizabimini in Spiritu & igne. Græc. Schol.* Ideoque *Beza* pro more suo, pro & *replevit*, vertit, *qui replevit*. Eadem enim est loquendi formula cum ea quam adnotavimus *Matth.* 27. 10. *Joh.* 15. 6. *Act.* 6.6. & alibi. *Anglicus* subaudit αὐτὴ, **And it filled all the house where they were sitting.**

V. 22. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι &c. *Jesum Nazarenum hominem à Deo* esse *demonstratum ad* vel *apud vos*, sive *vobis per virtutes & miracula & signa, quæ edidit per eum Deus in medio vestrum.* Subaudiendo verbum εἶναι. Ideoque *Chrysostomus* legit inverso ordine Ἰησοῦν Ναζωραῖον ἄνδρα ἀποδεδειγμένον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι &c addens, ὅτι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀπεστάλη. *Eò quòd à Deo missus erat.* Ut etiam animadvertit *Scholiastes Græcus* ἀποδεδειγμένον, ὅτιον, οὐκ ἀμφιβαλλόμενον, ἀλλ' ἀποδεδειγμένον διὰ τῶν ἔργων, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἦν. *Demonstratum* i.e. *non dubitatum, sed demonstratum per opera, quod à Deo erat.* Frigidum & jejunum videtur dicere *hominem à Deo approbatum*: non enim omninò attingit scopum loci.

V. 27.

V. 27. Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, &c. *Quoniam non derelinques animam meam in Hade, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Prius membrum spectare videtur animam, quæ non in statu mortis derelicta erat, ἐν ταῖς ὠδῖσι τοῦ θανάτου, ut v. 24. i. e. ἐν δέσμοις, *in vinculis* ut *Athanasius, Beza* & alii; *in receptaculis illis, ubi piorum animæ reservantur, donec coronam accipiant,* ut *Augustinus*, sive *in medio umbræ mortis, ubi animæ mortuorum erant,* ut *Irenæus*, sive εἰς ᾅδου, quo eum descendisse vel migrâsse edocti sumus *Symbolo Apostolico*, sive in *Paradiso* cum anima latronis, quæ omnia idem volunt. Non enim video cur non & in hoc sensu accipiatur *Paradisus*, ab *Hebraâ* voce פָּרַד *separavit*, i. e. *locus separatus*, ut sunt amœnitatis causâ horti vel vivaria, in quibus ad voluptatem arbores & plantæ excoluntur, sive aluntur feræ, cujus amœnitatis gratiâ vox ita sensum hunc obtinuit apud *Græcos* & *Hebræos*, apud quos frequentissimè vocatur גַּן עֵדֶן. Neque est terminatio vocis פַּרְדֵּס apud *Hebræos* adeò insolita, apud quos ejusmodi *anomala* sunt frequentia, ut eam opus sit debere *Persis*. Licèt enim fortè *Nehemias* eam à *Persis* mutuari poterat, qui in aulâ vivebat *Persicâ*, *Solomonem* tamen certum est, qui eâdem voce usus est in *Ecclesiast.* & in *Cantic.* multis retrò ante *Nehemiam* sæculis, *Hebraâ* scripsisse *dialecto*, nec quidem reor omninò usum esse *Persicâ*. Utcunque verò id sit, fas esse reor dicere, pios, qui in statu mortis sunt, esse in *Paradiso*, in quocunque loco separatos, atque in eo loco non esse relictam animam *Christi*. Posterius verò membrum spectare videtur corpus, quod non sensit corruptionem, ut cætera humana corpora; in quo sensu interpretatur *Psalmistam Petrus*, v. 31. ὅτι

ὁ καταλείφθη &c. *Quoniam non relicta est anima ejus in Hade, neque caro ejus vidit corruptionem.* Planè distinguens inter *animam* & *carnem*, quasi de industriâ, nè quis hoc ad sepulchrum *Christi* tantùm spectare putet, ut quidam volunt, qui vocem ᾅδης nihil aliud significare dicunt. *Perversissimum* verò *est*, ut *Tertullianus* de Carne Christi, *ut carnem nominantes animam intelligamus, & animam significantes carnem interpretemur* &c. Nec minus planè distinguit *Athanasius*, Οὔτε γὰρ θάνατος &c. *Neque enim mors prævaluit ut sibi subjiceret humanam ejus animam, ut vinculis detineret, nec corruptio per tyrannidem invadens in ejus corpus vim suam exercebat ad putrefactionem.* Rectè *Hilarius. Humanæ ista lex necessitatis, ut consepultis corporibus ad inferos animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Et proculdubiò iste fuit finis verborum *Petri*, ut probaret resurrectionem Christi, neque eum fuisse relictum in statu mortis. At verò sunt non pauci, qui prorsus negant ullum esse hujusmodi locum vel receptaculum animarum, affirmantes, piorum animas immediatè post separationem a corpore migrare in cœlos, etiam in tertium cœlum aliqui. Quorum ego affirmationem nec Scripturis, nec authoritate, nec ratione niti arbitror. Allegant inter alia, *Hodie mecum eris in Paradiso.* At eo die non fuit *Salvator* in cœlo, nisi loquantur vel sentiant æquivocè, nondum enim ascendit vel humano corpore vel animâ, quaneum Scriptura vel ratio docet. Fuit ergò *Paradisus* locus aliquis alius, nimirum *Hades*, in quo pro brevi tempore detenta est ejus anima, & in quem descendit, ut se hominem esse ostenderet, & in quo fuit eo die unà cum ejus animâ anima etiam Latronis, ubi illa

illa quidem cum reliquis piorum defunctorum animis (exceptâ *Salvatoris*) requieſcit in ultimum diem reſurrectionis. Rectè *Druſius*, *Paradiſum à cœlo diſtingui, quòd ille ſit receptaculum animarum poſt vitam, cœlum autem recipiat poſt judicium extremum.* Nec *ſolebant* (ut obſervavit *Grotius*) *Chriſtiani veteres hunc ſive ſtatum ſive locum medii temporis inter hanc vitam & reſurrectionem cœli nomine appellare.* Urgent alii illud *Ambroſii*, *Chriſtum introitu ſuo aperuiſſe credentibus regnum cœlorum*, nec antea quidem Patres participes eſſe factos promiſſionis, à morte verò & aſcenſione *Chriſti* eos unà cum eo aſcendiſſe in cœlos ibique conſummatos, ſcilicet quoad animas in cœlum receptas, quæ antè aſcenſionem *Chriſti* non aſcenderant. Fateor equidem *Chriſtum* aperuiſſe credentibus regnum cœlorum, (non tamen eorum ſenſu) clauſum enim erat anteá univerſo mundo, niſi *Judæis*, nunc verò ab ejus paſſione & aſcenſione patet cuilibet intranti, ita ut cuivis hominum, qui in ipſum crediderit, liceat in id perrumpere. At vero, ut occurram argumento, ubinam erant obſecro Patrum animæ, antequam cum *Chriſto* aſcenderent, ut aiunt, in cœlos ? ubicunq; enim illæ fuerint, ratio ſuadet, nec Scriptura negat, eodem loci fuiſſe animam *Chriſti*, & ubi anima *Chriſti*, anima fuit & *Latronis.* Nondum verò aſcenderant, nec certè erant in cruciatûs loco, non enim Latroni fuiſſet ſolatium, quod opinor intendebat *Chriſtus*, ſi dixiſſet ei, *hodie mecum eris in cruciatûs loco*, erant ergò in loco tertio quietis aliquo. In quo ſi remanere dicamus omnium piorum defunctorum animas in noviſſimum diem, quid indè periculi, quid incommodi ? Si, inquam, credamus, nec credamus amplius, unam omnibus manere reſurrectionem in

ultimo die, & patribus & nobis, in quo die nos cum illis perfectè consummabimur, interim verò universas piorum animas esse in manu Dei, ἐις τ ὀφειλόμενον αὐτῖς τόπον, *in loco iis debito*, ut in Epistola *Polycarpi* ad *Philippenses*. Estque illud *interim*, si cum æternitate compares, millies millies vel puncto minus. Sed reprimo me. Quæstio ista severiorem fortè disquisitionem postulat, prolixa magis quàm ut his angustiis terminetur; Quæstio tamen, quam neque scriptura uspiam explicitè, neq; generale aliquod Concilium in utramvis partem pro articulo fidei definivit, antequam id fecerat *Convocatio Dublinensis* 1615. Quæ tum pro articulo fidei statuit, *Post finem hujus vitæ animas filiorum Dei immediatè recipi in cœlos*, &c. de industriâ fortè ut occurrerent *Romanorum* Limbo. Neque hæc dixissem, nisi quòd adeò multi idque adeò mordicùs teneant dogma istud pro articulo fidei, damnantes universos, qui aliter sentiunt ac ipsi, impietatis & hæreseos, atq; etiam hæc verba mihi ita viderentur explicita, ut quodammodo manu ducerent in sensum quem propensui, licèt rariùs eo nomine à quoquam animadversa. Placet mihi admodum modestia *Calvini* in hoc ipso argumento, ubi agens de animabus fidelium, earúmque statu & loco post hanc vitam, *Valdè* (inquit) *se torquent multi, disputando quem locum teneant piorum animæ, & an cœlesti fruantur gloriâ, necne, atqui stultum & temerarium est de rebus incognitis altiùs inquirere, quam Deus nobis scire permisit*: & alibi in locum Evangelii de *Latrone* & *Paradiso*. *De loco Paradisi curiosè & argutè disputandum non est, nobis sufficiat, quicunque fide insiti sumus in Christi corpus, esse ejus vitæ participes, ac ita post mortem beatâ ac lætâ quiete fruituros, donec in solidum*

patefiat

patefiat in Christi adventu cœlestis vitæ gloria. In qua sententiâ ego lubens acquiesco, tutum esse arbitrans quod sentio, *vero simile* cum *Petro Martyre*, rationi consonum, nec Scripturæ absonum. Vide *Usserium* contra Jesuitam de Limbo Patrum versus finem, sive per totum: & *Montacutium* in Apparatu ad *Origines* Ecclesiasticas, pag. 49, 50. &c.

V. 30. Τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν χριστὸν, &c. Τὸ, hoc loco sumitur πτωτικῶς, vel, ut dicunt, *materialiter*, & materiam denotat jurisjurandi quod juravit *Davidi* Deus, nempe τὸ ἀναστήσειν τὸν χριστὸν κατὰ σάρκα, &c. *ex fructu lumbi ipsius resurgere fa-turum Christum in carne, ut sederet super solium ejus.* Atque hoc ipsum est τὸ ζητούμενον, quod *Apostolus* probare contendit, nempe *Christum* resurrexisse in carne, quod ex contextu abundè manifestum est. *Præscius enim locutus est* περὶ ἀναστάσεως τοῦ χριστοῦ, *de resurrectione Christi.* v. 31. quod idem etiam affirmat versu immediatè proximo. Ut omninò vox ἀναστήσειν non debeat intelligi de *Christi adventu*, sed de *resurrectione ejus in carne*, atque ita affirmat *Beza* τὸ ἀναστήσειν, *meliùs præsenti argumento quadrare, si de resurrectione Christi accipatur, quàm si ad adventum referas.* Si verò τὸ ἀναστήσειν melius quadrat resurrectioni, multò magis τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν, *in carne facturum resurgere.* Τὸ χριστὸν frequenter hoc sensu usurpatur, ut χριστὸν τὸν Ἀπὸ χειαν, *in Antiochia*, *Act.* 15. 25. χριστὸν καιρὸν, *in tempore*, *Rom.* 5. 6. ἔμειναν χριστὸν χώραν, *manserunt in agro. Phav.* χριστὸν, ἀντὶ τοῦ, ἐν. *Hesych.*

Cap 3. v. 18, 19, 20, 21. Ὁ δὲ Θεὸς, ἃ προκατήγγειλε διὰ στόματος πάντων τῶν προφητῶν αὐτοῦ, παθεῖν τὸν χριστὸν, ἐπλήρωσεν οὕτω (μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι

ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας) ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεκηρυγμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃν δεῖ μὲν δέξασθαι οὐρανὸν ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. *Deus autem, ea quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum Christum perpessurum implevit ita (pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra) ut venerint tempora refrigerii ab ira Domini, & miserit qui vobis prænunciatus est Jesum Christum, quem oportet quidem cœlum recipere usque ad tempora consummationis omnium, quæ Deus locutus est per os omnium sanctorum suorum à sæculo Prophetarum.* Parentheses ejusmodi frequenter interveniunt in *N. T.* ut *Joh.* 1. 14. *Luc.* 1. 55. 2. 34, 35. *Col.* 3. 15, 16. *Apoc.* 2, 9. & alibi. ὅπως ἂν, ἀντὶ τοῦ ἵνα *Bud.* & sic sæpius vertitur in *N. T.* ut *Matth.* 5. 5. ὅπως ἂν φανῶσι, *ut appareant*, *Luc.* 2. 35. ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν, *ut revelentur*, & alibi. Ἀπὸ προσώπου, rectè *ab irâ*: sic πρόσωπον Κυρίου ὁπὶ ποιοῦντας κακὰ, *facies Domini super facientes malum.* 1 *Pet.* 3. 12. *Facies Domini*, h. e. *ira Domini*, *Drus.* פנים enim apud *Hebræos* significat *faciem* & *iram*. Χρόνων ἀποκαταστάσεως, *tempora consummationis*; ἀποκατάστασις τελείωσις. *Hesych.* & *Phav.* Sic *Oecumenius*, ἀποκαταστῆναι δεῖ, φησὶ, καὶ εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα καὶ τότε ἐλεύσεται: *Oportet, inquit, consummari, & ad finem venire omnia, & tunc veniet*; nempe judicare vivos & mortuos.

Ca. 7. v. 4. Κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην &c. *Et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in hanc terram, in qua vos nunc habitatis.* Haud parùm vexavit *Interpretes*, *Stephanum* hic dicere, *Deum* transtulisse *Abrahamum*

mum è *Charran* post mortem *Patris*, eò quòd dicitur *Gen.* 12. 4. *Abrahamum* exiviſſe e *Charran* anno ætatis 75. c. 11. 26. natum fuiſſe *Tharæ* 70. & v. 32. *Tharam* fuiſſe annorum 205 cùm moreretur; exinde enim ſequitur, *Tharam* ſupervixiſſe deceſſum *Abrahami* è *Charran* 60 annos. Ut hunc ergo nodum ſolvant recentes ferè omnes & *Chronologi* & *Interpretes*, cæteris omnibus explosis ſententiis, volunt *Abrahamum* fuiſſe natum *Tharæ* anno ætatis 130, & non 70, ut opinati ſunt multi è veteribus; annis enim 130 ſi addas 75, quæ ætas erat *Abrahami* cùm egrederetur è *Charran*, incides in verum annum mortis *Tharæ*. Atque ut hanc opinionem tueantur, aiunt, non neceſſe eſt ut ex *Gen.* 11. 26. intelligatur *Abrahamum* eſſe natum *Tharæ* 70, at verò *Tharam* eo ætatis anno incœpiſſe eſſe patrem; non enim expreſſè dicitur eo ipſo anno natum eſſe *Abrahamum*, at verò *Tharam* vixiſſe annos 70, & genuiſſe *Abrahamum*, *Nahorem*, & *Haranem*, ex quo concludi nolunt *Abrahamum* fuiſſe fratrem natu maximum, quia prior nominatur, ſed aiunt eſſe potiùs veriſimile eum fuiſſe ætate minimum. Atque ut hanc ſententiam adhuc firmiorem reddant, argumentum ſtruunt ex ſuis ſuppoſitis, quo abſurdum conantur impingere aliter ſentientibus; viz. ſi *Abrahamus* fuerat filius natu maximus, tum *Sara*, uxor ejus, filia fratris ſui *Haranis*, & niſi decennio ipſo junior, *Gen.* 17. 17. neceſſariò nata eſt *Harani* octavo ætatis anno, quod ridiculum foret dicere. Ut verò hoc argumentum priùs diluam, primò, non video cur concedatur *Saram* fuiſſe filiam *Haranis*: neque enim adhuc finita eſt illa quæſtio. Quis enim legit *Gen.* 20. 12. *verè ſoror mea eſt de patre, ſed non de matre*, quin confidenter ſtatuit *Saram* fuiſſe ſororem *Abrahæ*,

& filiam *Tharæ*, sed non ex unâ eâdémque uxore? præsertim tam solenni affirmatione additâ, ut seipsum à suspicione falsiloquii liberaret. Unde *Hieronymus* post alteram verborum expositionem, addit, *Sed quia in Hebræo habet, Vere soror mea est, filia patris mei, sed non filia matris meæ, magis sonat quòd Abrahæ soror fuit, in excusationem ejus dicimus, nec dum illo tempore tales nuptias esse prohibitas.* Ut etiam *Doctores Hebræi* inter sex genera injustæ copulationis illud unum statuunt, *cum sorore uterinâ.* Immò *Musculus* magis adhuc rotundè agit; *Omnia hæc commenta simplicitas Hebraica respuit; quid enim necesse est torqueri in re tam clarè expressâ? Verè, inquit, soror mea est, filia Patris mei, & nè uterina putetur, addit, & non filia matris meæ, ut manifestum sit natam esse Saram Terah patri Abrahæ ex aliâ uxore, quam eâ unde sustulit Abrahamum.* Addi potest ex *Eusebio* ὁ δὴ Ἀβραὰμ λαμβάνει πρὸς τὸ παρὸς γυναῖκα τὴν Σάρραν, *Abrahamus vero a patre accipit uxorem suam Saram*, non ab *Harane*. Atque hinc appareat quæstionem istam nondum esse finitam. Detur verò, *Saram* fuisse *Ischam*, & filiam *Haranis*, quid impedit quin *Haran* esset 40 annorum senex cùm nasceretur *Abrahamus*? Et tum quàm facilè poterit *Sara* esse filia *Haranis*, & nisi decennio *Abrahamo* junior? nec absurdum sequatur illud, *Haranem* fuisse nisi octo annorum senem cùm nata esset *Sara*? Nam licèt Scriptura dicat, *Tharam vixisse 70 annos, & genuisse Abrahamum, Naborem, & Haranem*, non ergo necessariò sequitur *Tharam* eo tempore incœpisse esse patrem, non magis quàm *Tharam* eo anno genuisse omnes, quod credo nemo sanus affirmaverit, vel *Noah* incœpisse esse patrem, cùm dicitur *Gen.* 5. 32. fuisse *quingentorum annorum*

filius

filius, & genuisse Sem, Cham, & Japhet. At certè est multo magis vero simile, *Tharam* incœpisse esse patrem circa 30 ætatis annum, & circa id tempus genuisse *Haranem*, quo tempore progenitores ejus incœperunt esse patres, & quo tempore *Cainan* (quem interposuit *Lucas*) ipsi nuperi *Chronologi* statuunt incœpisse gignere filios; *Haranem* aio, eò quòd ipse videtur frater natu maximus, si & *Nahor* & *Abraham* utrique duxerint filias ejus. Si verò *Haran* natus erat *Tharæ* 30, oportuit eum esse annorum 40, cùm nasceretur *Abraham Tharæ* 70; & si *Sara* nata esset *Harani* anno ætatis 50, quod adeò fas & aptum est conjicere, oportuit eam esse *nonagenariam*, cùm *Abrahamus* fuerit *centenarius*. Adeò ut argumentum illud ab absurdo utrovis modo concidat. Atque hujus opinionis, quæ mihi videtur satis probabilis, & valdè æqua, ansam *Josephus* præbuit, *Antiq. Jud. lib.* 1. ubi expresè affirmat *Abrahamum* esse natum *Tharæ* 70, seorsim verò habuisse fratres *Naborem* & *Haranem*, nullo respectu ad eorum ætatem habito, quasi quovis alio tempore potuissent nasci, etiam antè patris 70. Mentio enim ibi fit eorum tantùm, quia in succedente historiâ nominantur. Quod etiam, salvâ reverentiâ, pari modo intelligendum reor de *Patriarchâ Noah*, nempè, illum quingentesimo ætatis anno genuisse *Semum*, nec quidem eo anno incœpisse esse patrem, *Semum* verò habuisse fratres *Japhet* & *Cham*, qui quovis alio tempore potuerunt nasci, etiam longo fortè temporis spatio ante *Noæ* quingentesimum, nominati tantùm *Gen.* 5. 32. ut sunt *Nahor* & *Haran*, *Gen* 11. 26. eò quòd de iis fit mentio in sequenti historia. Argumenta pro utràque sententiâ sunt ejusmodi. Primò, *Semum* anno *Noæ* quingentesimo fuisse

natum

natum arguit, eò quòd ætatem ejus, ut etiam *Abrahami*, oportuit esse fixam, in cujus progenie tendens ad *Abrahamum civitatis Dei ordo dirigitur*, ut est in *titulo c.* 10. *Lib.* 15. *Aug. de Civit. Dei.* Objicitur verò *Semum* non potuisse nasci *Noæ* quingentesimo, propterea quòd dicatur *Gen.* 11.10. *Semum fuisse centum annorum filium*, & *genuisse Arphaxad* שנתים *duobus annis post diluvium*, unde colligunt *Noah* genuisse *Semum* anno ætatis 502. Quod etiam monuit *Scaliger Can. Isag. lib.*3 *Sciant verò studiosi quosdam biennium plus quàm nos ab Adam ad Exodum putare, idque propter natalem Arphaxad, qui contigerat anno secundo Diluvii. Nos non omisimus quidem illum annum, sed annum* 500 *Noæ*, & 1656 *Diluvii currentes accipimus.* Demonstrationis gratiâ, pone natum esse *Noah* die primo mensis primi, (ut ineunte anno natum ferè omnes dicunt) & quingentesimo ætatis anno genuisse *Semum*, quatuordecim fortè dies antequam expleretur annus, & tum oportuit *Semum* esse centum annorum filium, quatuordecim diebus antequam expleretur annus *Noæ* sexcentesimus, adeò ut, cùm exsiccatum est Diluvium, & egressus est *Noah* ex arcâ, *anno sexcentesimo primo vitæ suæ, secundo mense, & vicesimo septimo die mensis, Gen.* 8 14. esset tum *Semus* centum annorum quatuordecim dierum, unius mensis, & viginti septem dierum, i e. centum annorum & 71 dierum filius; quo vicesimo septimo die si *Semus* primùm (ut par est & fas conjicere) operam incœpit dare liberis post diluvium, potuit tum ab eo die nasci *Arphaxad* secundùm tempus vitæ 280 dierum spatio, quibus si addas 71, reliquum ætatis *Semi* post centesimum jam numeratum, erunt in toto 351. adeò ut supererint centesimi anni

vitæ

vitæ *Semi* adhuc currentis, demendo 351 ex diebus 365 integro spatio anni, dies 14. Ideóque non importunè quingentesimum annum *Noæ* currentem accepit *Scaliger*, atque ὀρθῶς dicitur secundùm planam Scripturæ literam. *Et Semus erat centum annorum filius, & genuit Arphaxad secundo anno post diluvium.* At verò objicitur, *Arphaxad* natum esse duobus annis post Diluvium, neque enim aliud significare volunt τὸ שנת׳ם. Quid verò velit τὸ שנת recte, opinor, interpretati sunt LXX, δευτέρου ἔτους, quos secutus *Augustinus* & *Scaliger secundo anno Diluvii, sive post Diluvium.* Si enim ab *Orbe condito* ad *Diluvium*, ut fatentur ferè omnes, secundum computum *Hebraicum* numerantur anni 1656, & à *Diluvio* ad *Abrahamum* natum, posito eum natum *Tharæ* septuagesimo, 292, necesse est ut primus annus 292 annorum incipiat à *Diluvio ingruente*, & consequenter annum 1657 ab *Orbe condito*, in quo dicimus natum esse *Arphaxad*, oportet esse secundum post *Diluvium*; adeò ut neque etiam annum *Diluvii* 1656 importunè *currentem* acceperit *Scaliger*. Intellexit enim ille *Diluvium* incœpisse secundo mense anni 1656 *à conditu mundi*, utrum verò id acciderit millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo sexto vel septimo, unum idémque est nobis, quoad institutum nostrum, qui hoc tantùm petimus, *Arphaxad* fuisse natum secundo anno post *Diluvium*, numerando à *Diluvio ingruente*, & non duobus completis annis post *Diluvium exsiccatum*. Si quis persistat adhuc dicere τὸ שנת׳ם non rectè explicari, præter ipsam demonstrationem in quæstionem vocat judicium LXX, & virorum, quos omnis ætas novit & agnoscet doctos, necnon morem loquendi apud *Hebræos*, de quo videre licet

licet quæ animadvertimus in *Matth.* 2. 16. Quod si verò strictò, ut volunt, sensu accipiatur τὸ שנתים, & reddatur *duobus annis*, erit *Arphaxad* natus duos ferè menses intra duos expletos annos. Et quidni locutus fuerit *Moses* ἀκριβῶς, sed ὁλοκληρῶς, numero completo fortè posito pro fracto; ut *etiam apud Demosthenem & Plautum talentum numerari videmus, ubi non exiguus drachmarum numerus deest vel superest. Et vulgatissima est hæc numerandi* κατάχρησις, ut observavit *Scaliger*. Imò apud *Mosem* crebrissimè frequens; quis enim imaginatur vixisse *Patres* omnes totos præcisè rotundos annos, nec ullos menses, vel ullos dies suprà vel infrà? Quid ergo juvat ita Ecclesiæ *Dei* turbare chronologiam, & *Sacræ Scripturæ* literam convellere, cùm quod Scriptura dicat ita in promptu est demonstrare, & licitè fieri posse & probabiliter esse factum? Et si hæc sint vera, quomodo secundo loco dici potest, *Noah* incœpisse esse patrem quingentesimo ætatis anno? Si enim *Semus* erat natus *Noæ* quingentesimo ætatis anno, & *Japhet* erat natu major, ut rectè vertunt *Pagninus*, LXX, & *Paraph. Chald. Gen.* 10. 24 (rectè nio; si enim voluisset *Moses Semum* ætate grandiorem, dixisset certiùs (אחי יפת הגרול יפת, & non הגרול יפת) ac etiam *Cham* filius חקטן, *minor*, ut diserte nominatur, *Gen.* 9. 24. i. e. *Japheto* minor, quod etiam confirmat inter alios *Josephus Antiq. Jud.* l. 1. c. 7. ubi vocat *Semum* τρίτον *tertium filiorum Noæ*; & *Schindlerus* vir in sacris judicii non vulgaris, qui *Chamum*, ait, *secundum filium Noæ, & non minimum sed Sem*, (ut utar ipsius verbis) *Pentaglot. in voce* קטן, quomodo, ut jam antea dixi, dici potest *Noah* quingentesimo anno incœpisse esse patrem, cùm ita manifestè evincitur, &

Japhetum

Japhetum & *Chamum* esse antea natos? Neque verò est credibile, saltem non probabile, eum non antea incœpisse esse patrem, quam ætas jam incœperat defecisse; multò magis sonat vero simile, eum incœpisse esse *Patrem* circa idem tempus quo etiam *Progenitores* sui incœperunt gignere filios, fortè circa centesimum & octogesimum ætatis annum, circa quod tempus *Methuselah* genuit *Lamech*, & *Lamech* genuit *Noah*. Neque verò si *Noah* quingentesimo incœperit esse *Pater*, & *Semus* foret filius tertius, vel natu minimus, potest ullo sensu dici *Semum* centesimo ætatis anno genuisse *Arphaxad*, *duobus annis* vel *secundo anno* post *Diluvium*, sed tertio, nisi quis velit omnes tres natos intra biennii spatium, quod mirum foret asserere. Sed nimia est hæc digressio, etsi tamen necessaria. Ut redeam ergò ad rem ipsam, mihi videtur eorum ratiocinatio ita à ratione abhorrere, ut ei nullo modo possim acquiescere. Primò enim quòd *Abrahamum* volunt natum esse *Tharæ* 130, parùm est in se probabile. Cur enim adeò miraretur *Abraham*, ac si ratio certaret cum fide, filium sibi nasci centenario, si natus fuisset ipse patri suo ætatis anno 130? At verò objectionem istam (etsi reverà sit ἀναπόδεικτος) nè flocci quidem faciunt. Mirum *Patriarcham*, aiunt, non rectè intellectum: respiciebat enim uxorem suam tantùm, & non seipsum, cùm ita apud se loqueretur *Abraham*. Desierant *Saræ* fieri muliebria, in eo mirum; habuit verò *Abraham* filios ex uxore juvene 37 annos postea. Itáne verò? At quid tum respondent *Paulo*? *Rom.* 4. 19. Οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, *Non consideravit corpus* suum *jam emortuum*: & *Heb.* 11. 12. Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν καὶ ταῦτα νενεκρωμένου, &c. *Quocirca & ex uno* [masculini generis]

orti

orti sunt eoque emortuo tanquam sidera cœli? E quibus locis collatis concludit *Estius, Satis ex his liquere, Scripturam non solùm in Sara ponere miraculum. sed etiam in Abraham.* Quid etiam *Musculo? Certè negari non potest ista verba Abrahami exprimere quandam senilis & emortui corporis considerationem tam in Abrahamo quàm in Sara.* Quid *Ambrosio? Non dubito quod facias, ut & centum annorum seni dones filium, & Naturæ auctor Naturæ metas relaxes.* Quid *Chrysostomo?* ὑπὲρ φύσιν ἀνθρωπίνην τὰ ἐπαγγελθέντα· καὶ ὁ πατριάρχης ὑπὸ τοῦ γέρως λοιπὸν ἀνενέργητος ὢν, καὶ πρὸς παιδοποιΐαν ἄχρηστος. *Supra humanam naturam promissa; erat enim Patriarcha præ senectute propè impotens, & ad filiorum procreationem omninò inutilis.* Quoad verò generationem filiorum ex secunda uxore 37 annos postea, Quidni *Naturæ Auctor Naturæ metas relaxet?* Quidni Divino miraculo vires reparet & restituat jam emortui, & faciat eum revige cere, quem prædixerat futurum patrem multarum gentium? Secundò, nec cum ratione convenit, *Mosem* ætatem *Abrahami*, à qua pendet tota Chronologia *Ecclesiæ Dei*, velle ita in incerto relinquere, ut eam non liceret nisi per conjecturam expi cari vel extorquere. *Quem quæso in finem* (verba sunt *Langii* in re quidem alia, ejusdem verò naturæ) *hæc à Mose perscripta sunt, nisi ut temporum constaret ratio? Propter hoc ergo Moses tempora apposuit, ut veritas manifestior esset.* Ut verò fiat veritas manifestior quoad Chronologiam *Ecclesiæ Dei*, quod præcipuè hoc loco intendebat *Moses*, cujus ætatem oportuit esse magis accuratè certam, *Abrahami* an *Tharæ*? Notitia natalis *Abrahami* erat quidem necessaria, sed non ita erat mortis *Tharæ*. Quomodo constabit

stabit etiam certa temporum ratio, quæ à conjecturâ, eâque parum probabili, certè disputabili tota pendet? Cùm verò habes tempus natalis & decessus *Abrahami* è *Charran*, habes certam rationem temporum, in qua poteris tutò acquiescere. Tertiò, *Abrahamum* non fuisse natum *Tharæ* 70, est contra sententiam veterum ferè omnium gentium. Testimonia libet aliquot hic apponere. Primum erit quod jam antea nominavi ex *Josepho*, Θάρρᾶ μὲν ἑβδομηκοστῷ ποιεῖται τὸν Ἀβραμον· *Thara* 70 *genuit Abrahamum*; & paulò pòst, Ἀβραμ δ' ἔτιχεν ἀδελφὸς Ναχώρ τε καὶ Ἀρράν· *Abrahamus verò habuit fratres Naborem & Haranem.* Ex quo manifestè patet, quid *Judæi* senserint *Josephi* tempore, quicquid de eâ re recentiùs scripserint, & quod ipse opus suum senserit fixam statuere ætatem *Abrahami* per se separatim, de ætate *Naboris* & *Haranis* non sòlicitus. Aliud est testimonium *Nicephoræ Patriarchæ* ante *Eusebii* tempora; Θάρρας γεννᾷ ἐπὶ ὃ γυνᾶ τὸν Ἀβραὰμ. *Thara septuagenarius genuit Abrahamum.* Præter ipsius *Eusebii* judicium passim in suis *Chronicis*, necnon & *Latinorum*, ut colligere est, ex *Augustin. de Civit. Dei. lib.* 16. *c.* 10. & 15. & in *Quæst. super Genesim.* Nec est contemnendum testimonium & judicium docti *Arabis*, *Gregorii Abul. Pharajii*, *Hist. Dynast. Tareh filius Nahur. Natus est illi Abraham, cum esset secundùm utramque simul sententiam* 70 *annorum, & ab hoc tempore convenit inter duos computos* LXX *& Hebræorum.* Quomodo verò convenit, si de tempore nativitatis *Abrahami* discrepat? Propter has ergo rationes & testimonia non possum assentiri judicio eorum qui *Abrahamum* volunt nasci *Tharæ* 130. Quid igitur restat, si natus sit *Abrahamus Tharæ* 70 secundum Scriptu-

ræ

tutæ literam, & egressus è *Charran* post mortem patris anno ætatis suæ 75, nisi ut mortuus sit *Thara* 145 annorum tantum senex? faciunt enim 70 & 75, 145. quod quidem multò magis convenit quàm *Hebræa* lectio. Vix enim credibile, *Tharam* supervixisse ætatem patris *Nahor* 57 annos, vixit enim ille nisi 148, cùm jam ætas hominum cœperit decrescere, nec qui quam successentium *Patriarcharum* eam ætatem, viz. 205 annorum, attigerit, qui tamen omnes benedictionem & promissiones acceperunt, cùm dicatur *Tharam servisse Diis alienis, Jos.* 24. 2. Et si credatur *Suidæ*, fuit ipse ἀγαλματοποιὸς, *factor imaginum.* Nec Scriptura de conversione ejus usquam explicitè quicquam dicit, licèt tamen charitas & ipsa ratio suadent credere, eum non in *idololatria* perstitisse usque ad summam senectutem, quia egressus est cum *Abrahamo* è *Chaldæorum Ur*, ut iret in terram *Chanaan*, & cum eo simul commoratus est in *Charran* usque ad diem mortis; at non longævitatis tantæ supra patrem & posteros gratiam tamen apud *Deum* meruisse. Adeò ut lectio vulgaris ista, *Tharam* mortuum esse 205 annorum senem, sit ferè æquè ἀσύστατος, ac illa etiam in Hebræo, 2 *Chron* 22. 2. (licèt tamen sint aliqui qui omnia salvent) *Et regnavit Achaziah filius quadraginta duorum annorum,* quo concesso, oportuit eum esse seniorem patre, cui successit, qui obiit natus annos quadraginta, quæ est etiam contra fidem *Interpretum Syriac. Arab.* & *Græcorum*, qui omnes legunt, ut etiam legitur parallelo loco, 2 *Reg.* 8. 26. *Regnavit Achaziah filius duorum & viginti annorum;* nisi quod *Romana Græca Editio* legat tantùm εἴκοσι, *viginti.* Vel ut ista, quæ est etiam numeralis, *Gen.* 2. 2. *Complevitque Deus* יום השביעי

In

In die septimo opus suum quod fecerat. Quisnam enim adeò *Masoræ* tenax, qui non in hoc loco agnoscit σφάλμα, & fatebitur deberi legi ב ו ם ה ש ש *Et perfecit Deus in die sexto opus suum quod fecerat, & requievit in die septimo,* (ut sequitur) *ab omni opere suo quod fecerat;* ut habent *Codex Samaritanus, Syrus,* & universi *interpretes Græci.* Et quidni liceat eâdem lege & licentiâ, qua illi negant, *Abrahamum* natum esse *Tharæ* 70 secundum Scripturæ literam & receptam sententiam veterum colligere ac etiam æquè confidenter affirmare, *Tharam* fuisse cùm moreretur nisi 145 annorum senem, præsertim cùm in majorem fidem, præter rationem ipsam, habeamus testem apud *Eusebium*, plusquam mille & trecentorum annorum senem *Chronologiam Samariticam*, Θάῤῥα γενόμενος ἐτῶν ὁ γενεᾶ τὴν Ἀβραὰμ καὶ ἐπίζησεν ἔτη ὁε μέχρις ὁε ἔτους Ἀβραάμ. *Thara cùm esset 70 annorum genuit Abrahamum, & supervixit annos 75, usque ad 75 annum Abrahami,* cum qua perfectè quadrat *Pentateuchus Samaritanus. Gen.* 11 32. *Et fuerunt dies Tharæ centum & quadraginta quinque anni, postea mortuus est Thara in Haran.* Et quidni testis *Samariticus* sit testis bonæ fidei in re etiam ita probabili? Quid periculi, si admittatur mendum vel lapsus in *Hebræo*? Imò nonne est necesse, ut id fiat in locis suprà nominatis? Quod si ergo liceat & æquum sit emendare in iis, quidni idem fiat etiam in ætate *Tharæ*, sensu emendationem æquè postulante? Verba sunt *incomparabilis Capelli*, in *Criticis suis sacris*: *Non pauca esse ἀδιάλλακτα ἄπορα in Bibliis Hebræis, quæ vix aliâ ratione solvi aut conciliari possunt, quam admittendo levem in sacro codice lapsum emendandum.* Quod quo minùs fiat in hoc ipso loco ætatis *Tharæ*, cùm lectio

ista *Samaritani Codicis* ita bellè conciliat *Stephanum* cum *Mose*, & *Mosem* cum seipso, (si enim cum eo legas *Tharam* fuisse tantùm 145 annorum senem cùm moreretur, aptè congruunt, *Abrahamum* esse natum 70 anno *Tharæ*, & exiisse è *Charran*, ubi mortuus erat *Thara* anno ætatis 75, & *Deum* transtuliisse eum post mortem patris in terram *Chanaan*) unicum tantùm equidem video obstaculum, quod etiam ibidem animadvertit *incomparabilis vir. Religio est vel latum pilum à codicibus Hebræis, ut Rabbinorum curâ nobis transmittuntur, recedere*, vel *ipsorum lectionem vitii arguere*. Et si ita itat sententia, præstat cum *Scaligero* nodum hunc solvendum relinquere, dum *Elias* venerit. Sciendum verò interim, dum nimis arctè adhæretur *Masorethis*, certissimum esse, *Interpretes* in innumeras impegisse inextricabiles controversias, quæ, si admittatur in illis mendum, vel ex *Samaritano* vel ex LXX faci limè emendari & conciliari poterint sine ullo fidei præjudicio. Et quidni admittatur mendum vel varia lectio in Veteri, pari modo quo admittimus in Novo?

C. 7. v. 10. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ χάριν καὶ σοφίαν ἐναντίον Φαραὼ βασιλέως Αἰγύπτου, καὶ κατέστησεν αὐτὸν &c. *Et dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, qui*, ut vertit *Beza*, *constituit eum præpositum super Ægyptum*. Phrasi eâdem quam animadvertimus *Matth.* 27. 10. & sæpiùs alibi.

V. 15, 16. Κατέβη δὲ Ἰακὼβ εἰς Αἴγυπτον καὶ ἐτελεύτησεν αὐτὸς καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν. Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι ᾧ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ. *Et descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati*

translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Emmor patris Sichem. Versio ista hunc locum variis fecit obnoxium erroribus. Primò enim implicat à connexione copulativæ [καὶ] *Jacobum* unà cum *patribus* deportatum sive translatum fuisse in *Sichem*, cùm ex Scriptura pateat *Jacobum* diu antè exitum ex *Ægypto*, deportatum & sepultum esse à *Josepho*, & *senioribus Israel in speluncâ agri Macpelah, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo, Gen* 50. 13. Proximo loco affirmare videtur, quod diserte est contrarium authoritati veteris, *Abrahamum* emisse locum sepulturæ à filiis *Emmor* patris *Sichem*, cùm quem ille emerat, ab *Ephrone Hethæo* emerit, *Jacob* verò à filiis *Emmor*. Ultimo loco necessariò innuit, patres reliquos sepultos fuisse in *Sichem*, cùm, siqua rationi fides, sepulti fuerint in eodem loco, in quo sepulti erant eorum patres, nempe in *Hebrone*. Nam, ut jam antea dixi, *Jacob* certè sepultus est in spelunca agri *Macpelah*, quam emit *Abraham* cum agro ab *Ephron Hethæo* in possessionem sepulchri (procul dubio pro familiâ suâ) prout ipse *Jacob* dixerat ad *Josephum*, *Non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferes me de hac terra, condésque in sepulchro majorum meorum. Gen.* 47. 30, 31. *Ubi sepelierunt Abrahamum & Saram uxorem ejus, ubi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge suâ, ubi & Leah condita jacet. Gen.* 49. 31. Et ubi *Jacob* & *Leah* ambo sepulti sunt, & *Jacobi* patres & matres, etiam plusquam probabile est, & filios suos omnes etiam esse sepultos, *Josepho* tantùm excepto, qui sepultus est in *Sichem*, secundum juramentum quod cepit à filiis *Israel*, *Gen.* 50. 25. *In parte agri quem emerat*

Jacob à filiis Emmor patris Sichem centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph. Josh. 24. 32. Et quod huic conjecturæ omninò possit reponi, nil equidem reperio præter testimonium *sancti Hieronymi*, qui in *Epitaphio Paulæ* ait, *fratres Josephi sepultos esse in Sichem.* Sed cum reverentiâ liceat tanti viri testimonio opponere illud *Josephi*, qui *lib.* 2. *Antiq. Jud.* expressè affirmat, *Josephi fratres mortuos in Ægypto, et eorum corpora filios et nepotes in Hebronem* (nempè in speluncam agri *Macpelah, hæc est Hebron, qui confirmatus est Abrahæ in possessionem monumenti à filiis Heth. Gen.* 23. 19, 20.) *relata sepelivisse; Josephi autem ossa translata esse in Chananæam per Hebræos cùm ex Ægypto migrarent, sic enim jurejurando eos obstrinxerat Josephus*, scilicet cundùm quod sepulta sunt in *Sichem*, ut jam antea dictum. Neque fuit ab officio vel ratione alienum, ut priùs sepelirent *Josephi* ossa in *Sichem*, vel honoris causâ, cò quod fuerit totius *Ægypti* præfectus, atque inde ad *Hebronem* deportarent reliquorum patrum ossa sepelienda in *Hebrone*. Et si libranda testimonia, quamvis in quæstione fidei crediderim *Hieronymo*, in re tamen *Historiæ*, quæ etiam nationem suam tangit, & de qua de industriâ scripsit, fidem *Josepho* potiùs adhibendam sentio, præsertim cum propiùs ad Scripturæ mentem & rationem accesserit. Ut ergo præveniatur, in quem tam sumus proni, error primus, verba velim in hunc modum verti, saltem intelligi, *Et descendit Jacob in Ægyptum, καὶ ἐτελεύτησεν αὐτὸς, et defunctus est ipse, et patres nostri* (repetendo ἐτελεύτησαν in plurali, quod necessariò faciendum ut constructio fiat) *defuncti sunt, et translati sunt in Sichem*, i.e. *Patres* nostri, & non *Jacob*. Et ut concilientur τὰ ὑστερούμενα posteriora, certi velim

&

& distingui in hunc modum: καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι (ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου) παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ. *Et positi sunt in sepulchro* (*quod emit Abraham pretio argenti*) *à filiis Emmor patris Sichem.* Atque hâc versione, quæ certè est in se legitima quoad *Grammaticam* vel usum loquendi, nulla vis omninò fit veritati historiæ; nec enim affirmat positos fuisse patres in sepulchro quod emit *Abraham à filiis Emmor*, quod adeò Scripturæ veteri est contrarium, nec sepultos fuisse in agro *Sichem*; sed potiùs innuit, ipsos priùs deportatos esse in *Sichem*, & deinde postquam *Josephi* ossa priùs (ut par erat) ibi fuissent condita, à *Sichemis* vel *ab agro Sichem*, quod unum & idem est, translatos esse & sepultos in sepulchro, *quod emit Abraham pretio argenti*, nempè ab *Ephrone* in *Hebrone*, secundum testimonium *Josephi*, rationem, & Scripturam. Neque est versio ista omninò insolens, vel nova Παρὰ enim cum *Genitivo* propriè significat motum à personâ, κίνησιν ἀπὸ ἐμψύχων. Cùm ergo lectio vetus & versio sit ita dura & inconcinna, ut nullo modo possit conciliari, nisi crassâ aliquâ emendatione tectus, sobriis & doctis perpendendum submitto, an non satius & magis æquum sit hanc interpretationem admittere, etsi magisteriali authoritate destitutam, quàm, ut solemus, fugere ad remedia ita violenta. Neque sum solus sine teste, adstipulatur nobis *De Dieu*, vir inter primos doctus, cùm dicat, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ, *Non esse construendum cum ὠνήσατο, sed cum ἐτέθησαν, quam sententiam ob Josephi authoritatem* agnoscit *apud se potiorem esse.*

V. 19. Οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι. Ver-

ba hæc plerumque non vertuntur commodè. Vix enim crediderim *Hebræos* ita omnem exuisse humanitatem, ut ipsi suos exponerent infantes ne servarentur vivi. Nec quicquam tale in *Exodo* narrat *Moses*, at *Pharaonem* præcepisse *populo suo* (*obstetricibus Hebræis venientibus exequi mandata ejus quoniam timebant Deum*) disertè hisce verbis, *omnem filium qui nascitur Hebræis* εἰς τὸν ποταμὸν ῥίπτατε *projicite in flumen* &c. Ita ut ad veriorem sensum concilientur hæc verba, credo ea multò rectiùs verti. *Hic circumveniens genus nostrum afflixit patres nostros faciendo projici infantes eorum, ne servarentur vivi*, vel ut vertit *Interpres Arabicus*, *efficiendo ut infantes eorum projicerentur ne viverent.* ἔκθετα enim apud *Suidam* ἐκκεκαλυμμένα *projecta*, τὸ ποιεῖν ἔκθετα rectè, *faciendo projici*; Reperire est eandem phrasim. 1. *Reg.* 17. 20. σὺ κεκάκωκας τὴν θανατῶσαι τὸν υἱὸν αὐτῆς. *Tu afflixisti* viduã *faciendo mori filium ejus*, ut etiam *Ruth.* 1. 6. ὅτι ἐπεσκέπται Κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ τοῦ δοῦναι αὐτοῖς ἄρτους, *Quod visitaverat Dominus populum suum dando eis panem*, & *Psal.* 78. 18. καὶ ἐξεπείρασαν τὸν Θεὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν τοῦ αἰτῆσαι βρώματα ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν. *Et tentarunt Deum in cordibus suis petendo cibum animabus suis* Ac si ita vertatur, *Luc.* 1. 54. 55. commodiorem opinor reddet sensum, μνηθῆναι ἐλέους, & *sublevavit filium suum Israel reminiscendo misericordiam* &c. ut ibidem etiam. v. 76. 77. *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας &c. *dando cognitionem salutis populo ejus in remissionem peccatorum.*

V. 45 Ἣν καὶ εἰσήγαγον διαδεξάμενοι οἱ πατέρες ἡμῶν, &c. *Quod etiam patres nostri accipientes*

entes successivè alius ab alio introduxerunt cum Jesu in possessionem gentium. Διαδέχομαι, τὸ, *διὰ πολλῶν ἐρχόμενον ἀφ' ἑτέρου εἰς ἕτερον ἐπ' ἐμὲ ἦλθον δέχομαι. Phav.*

C. 8. v. 33. Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. *In humiliatione ejus judicium ejus sublatum est.* i. e. cum semel *humiliaverat* seipsum *ad mortem crucis*, *Philip.* 2. 8. non erat amplius obnoxius judicio hominum. Tunc enim ut sequitur *quis enarrabit generationem ejus? quoniam tollitur è terra vita ejus.* Sublata est enim vita ejus è potestate terrenorum judicum, adeò ut à generatione in generationem in æternum nunc victurus est invicta hominum malitia. *Non jam amplius moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Rom.* 6. 9. Atque hæc interpretatio facillimè aptatur ad textum *Hebraicum*

C. 10. v. 36, 37, 38. Τὸν λόγον, ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ (οὗτός ἐστι πάντων κύριος) ὑμεῖς οἴδατε, τὸ γενόμενον ῥῆμα καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης, Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ θεὸς, &c. Τὸ sumitur τεχνικῶς, vel appositivè, antè Ἰησοῦν cum *Syro* subaudi χριστὸν. Ubiq; enim locus est Accusativo, si intelligas χριστὸν. *Verbum quod misit filiis Israel, annuncians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus) vos nôstis, verbum scilicet quod fuit per totam Judæam, initium sumens à Galilæa post baptisma quod prædicavit Johannes de Jesu Nazareno, quomodo unxerit eum Deus spiritu sancto, &c. Vos nôstis,* i. e. fumâ accepistis, non ignoratis utpote rem adeò vulgatam.

C. 13. v. 20. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουήλ.

ἡλ. *Porro quadringentis & quinquaginta annis dedit eis Judices.* ut *Syrus*, & *Arabs*, & alii. Verùm locus iste, ut ait *Scaliger*, *est crux Chronologorum*, dicas & *Interpretum*, inter quos haud pauci tuentur hanc versionem, quâ usus est *Syrus* & *Arabs*; quam etiam pro viribus defendit *Beroaldus*, *lib.* 3. *c.* 4. nec sine applausu, addendo in suâ computatione Chronologicâ annos *Oppressorum* numero annorum *Judicum*, qui initium sumentes à tempore quo *Cushan-rishathaim* opprimere i cœpit *Israelem*, *Jud.* 3. 8. faciunt exactum numerum quadringentorum & quinquaginta annorum usque ad *Samuelem*. Felix quidem & speciosa est inventio. Verùm præter exceptiones justas, quæ huic computo possunt objici, eò quòd tempus *Seniorum*, qui judicabant *Israelem* immediatè post *Josuam*, non in eo comprehenditur, quos negari non potest fuisse *Judices*, etiamsi quàm diu, non patet ex Scripturâ; *Eusebius*, ait, *Traditionem dedisse eis octodecim annos*, *Africanus triginta* tribuit: verùm quàm longo vel brevi tempore utcunque fuerit, auget certè numerum quadringentorum & quinquaginta annorum, ita ut numerus iste non sit adeò exactus ut *Beroaldus* voluit; & præterquàm etiam quòd viginti anni *Samsonis*, in quibus judicavit *Israelem* in diebus *Philistinorum*, in quorum manus dedit *Deus Israelitas* spatio quadraginta annorum, sint ex iis deducendi, quod computationem ejus etiam reddit vanam, ipse sibi *Beroaldus* objectionem fecit nullâ arte diluendam; atque ea est hujusmodi, Posito, *tempus ab exitu ex Ægypto usque ad inchoationem structuræ templi, fuisse quadringentorum & octoginta annorum*, ut diserte dicitur 1 *Reg.* 6. 1. *Qui numerus omninò retinendus, nisi totam sacram Chronologiam subvertere malimus*, ut inquit

quit *Beza*, & *Judicibus* demus annos quadringentos & quinquaginta, *Mosi* in deserto quadraginta, *Josuæ* octodecim, (nec quisquam dat pauciores *Samueli* & *Sauli* quadraginta, *Davidi* triginta, & *Solomoni* ante inchoatam structuram templi quatuor) erunt in toto (nec supputamus tempus *Seniorum*) 582 anni. Adeò ut secundum sui ipsius objectionem sit planè impossibile temporibus *Judicum* tribuere 450 annos. Sed ut rem salvet, *Ut Apostoli memorata supputatio intelligatur, animadvertendum* ait, *quosdam annos bis repeti, & iterato dici, quemadmodum afflictionum anni dicti sunt comprehendi debere, & ad eam summam referri quâ dicitur pax fuisse & quievisse terra a prœliis. De quo nihil solicitus Apostolus eam summam retulit, quam sigillatim sumpti omnes isti numeri, quos exposuimus eundo per singula capita libri Judicum*, constituunt. Sed has considerationes unquam in *Apostoli* mentem ascendisse vix credibile, multò minùs *Apostolum* contra ipsam scientiæ lucem voluisse numerare annorum summam, quæ constare non potuit cum Scriptura Veteri. Egregium certe id fuisset scandalum *Judæis*, quibus non ignoti vel inobservati temporum erant computi. Cùm ergò interpretatio ista tot exceptionibus sit obnoxia, sine injuria fas est aliam exquirere, neque occurrit nobis alia magis sana, quam eorum qui hic volunt intelligi, non quamdiu, sed quando *Deus* dedit illis *Judices*, ideoque distinguunt & referunt verba illa [καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα] ad verba præcedentia, *v.* 17. nempe ad tempus quo *Deus* populi *Israelis* elegit patres eorum; adeò ut debuerint verba distingui & verti in hunc modum. *Et postea ferè vel circiter quadringentis & quinquaginta annis*, i. e. per

Metathesim,

Metathesim, & ferè vel circiter quadringentis & quinquaginta annis posteà, dedit eis judices; in quo sensu legunt *Lat. Vet.* & *Æthiop.* Tempus verò hoc, in quo *Deus* potest dici elegisse patres quasi quadringentis & quinquaginta annis ante tempus *Judicum* ab iis computatur à nato *Isaaco*, in quo *Deus* verè dicitur elegisse *Patres*. Dixerat enim *Abrahamo Deus, In Isaaco vocabitur semen tuum.* Et ut computus iste magis fiat planus, *a nato Isaaco* aiunt *ad natum Jacobum sunt anni* 60, *inde ad introitum in Ægyptum* 130, *inde ad exitum* 210, *inde ad introitum in terram Chanaan* 40, *inde ad distributionem terræ*, quo tempore incœperunt esse *Judices*, 7, *qui simul faciunt* 447 *annos*, i. e. *circiter* vel *ferè* 450, desunt enim solummodo tres. Et si computus incipiat ab anno præcedente, nempè ab *Isaaco* promisso, cùm diceret *Abrahamo Deus, Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum. Gen.* 17. Quo tempore *Deus* fortè dicitur æquè, si non magis proprie, elegisse patres, anni erunt 448, anno adhuc altero propiore ad numerum *Apostoli*, adeò ut defuerint tantùm duo. *Reverendissimus* verò & *Doctissimus Usserius* noster, *a nato Isaaco ad distributionem terræ*, (quod *evenisse* ait *annis post electionem Patrum circiter* 450) numerat annos 45-, & alii *propemodum*, si non *exactè* 450. Ex quo fas opinor est conjicere, propter hanc temporis incertitudinem, *Apostolum* ejus circumstantiam expressisse particulâ indefinitâ, ὡς, *circiter quadringentis & quinquaginta annis.* Ideóque non inopportune *Scaliger* in notis in *Euseb. Chronic. pag.* 255 ait. *Ego sapientissimè ab Eusebio dictum puto,* τὸ Ἀπόστολον ἐκ ἀκριβολογούμενον εἰπεῖν, ἀλλὰ ἐνδοχῶ

ἐνδοχῆ κοινοτέρᾳ, *ut sit numerus pro numero ex quotidiano usu, quo ὁλοσχερῶς & ἀκριβῶς aliquam summam enunciamus. Sic apud Demosthenem & Plautum talentum nominari videmus, ubi non exiguus drachmarum numerus deest vel superest. Et vulgatissima est hæc numerandi* κατάχρησις.

V. 27. Οἱ γὰρ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οἱ ἄρχοντες αὐτῶν, τοῦτον, ἀγνοήσαντες καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας, κρίναντες, ἐπλήρωσαν. Vertendum per Hyperbaton, quasi legeretur, Οἱ γὰρ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οἱ ἄρχοντες αὐτῶν, τοῦτον κρίναντες, ἀγνοήσαντες καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας ἐπλήρωσαν. *Qui enim habitabant in Jerusalem, & principes eorum hunc condemnantes, ignorantes etiam voces Prophetarum, quæ unoquoque legebantur Sabbato, impleverunt.* Similes implicitas & perplexas trajectiones videre est apud *Demosthenem*, quibus eum *usum fuisse* affirmat *Stephanus ad venustatem sermoni conciliandam*, & apud *Platonem*, quale est illud in *Phædro*, ἀληθῆ, ἔφη, λέγεις, ὦ Σώκρατες, ὦ Κέβης, *Vera dicis O Cebes, inquit Socrates.* Quod loquendi genus & imitari & affectare videtur *Cicero; Noli inquit mirari Africanus. O magnam inquit artem Brutus.* Vide *Bezam* in *Act.* 24. 22. vide etiam *Job.* 12 8. 1 *Cor.* 10. 27. *Phil.* 1. 21. *Jac.* 2. 1. 3. 3. & alibi.

V. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ καὶ θαυμάσατε καὶ ἀφανίσθητε, &c. *Lucas* nec *Hebræa* nec *Græca* laudat κατὰ πόδα, propriùs verò accedit ad *Interpretes Græcos*, quos salvo sensu contraxit. Apud eos enim legitur, Ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε.

ἀφανίσθητε. *Videte contemptores & resipiscite, & admiramini mirabilia, & disperdimini*; ut *Interpres. Hebræum* verò, ראו בגוים והבטו והתמהו תמהו *Videte in gentibus* (i. e. vos qui estis inter *Gentes*,) & *aspicite, & attoniti estote, obstupescite*, ut *Pagninus*. Ubi verbum תמהו, pro possibili errore literarum bis à *Græcis* videtur reddi; postquam enim pro vulgari lectione vertissent θαυμάσια, opinantes, opinor, non benè convenire unam eandémque vocem repetitam, addiderunt etiam τὸ, ἀφανίσθητε, existimantes fortè pro תמהו, debuisse legi חמה, errore proclivi satis ob literarum similitudinem; quæ vox significat, *latibulum quærite*, & admodum quadrat cum voce ἀφανίσθητε; ἀφανίζειν enim apud *Hesychium* est σκεπάσαι, *tegere*, vel *abscondere*. Sic apud *Plutarchum*, ἀφανίζειν οὐ θέλει τὸ ἀληθὲς, *non vult tegere veritatem*; &, οἱ γὰρ ἔλαφοι κατορύττουσι καὶ ἀφανίζουσι κατὰ τῆς γῆς, ὅταν ἐκπέσῃ τὸ κέρας, *Cervi quando decidit cornu defodiunt, & abscondunt sub terra*. Sic *Job*. 22. 20. vocem כחד quæ significat, *abscondit*, LXX vertunt ἀφανίζει; in quo sensu ἀφανίσθητε videtur hoc loco aptiùs verti. *Videte contemptores, et obstupescite*, vel *et attoniti estote*, & *abscondimini*, sive *latibula* vobis *quærite*. Est enim חמות, vel מחמה, proprie *latibulum*, vel *receptaculum, ubi quis tutus est contra cœli, aliásve injurias*, ut *Schindlerus*. Atque ita debere intelligi valdè innuit, quòd versio ista magis convenit cum scopo loci, quàm vel *evanescite*, vel *disperdimini*, quæ quid sibi velint non adeò est in promptu dicere; præcipuè si erratum sit à *Masorethis*, legendo בגוים *inter Gentes*, pro בגדים καταφρονηταὶ, *contemptores*, ut est propter similitudinem literarum ו ד certè possibile

sibile, & in hoc loco *Habak.* videtur plusquàm probabile. Non enim alloquitur *Propheta Gentes*, sed *Judæos*, quos omninò tangit sequens sermo, super quos in ipsorum diebus superventura fuit devastatio, quam prænunciat, captivitas nempè *Babylonica*, de qua vide quid locutus fuerit *Dominus* 2 *Reg.* 21. 13, 14. Qui optimo etiam jure vocantur בגדים, καταφρονηταὶ, *contemptores*; qui *perverterunt judicium*, & *lacerârunt legem Dei*, ut vertunt aliqui, ideóque non sine causa jubentur aspicere, & attoniti mirari opus *Domini*, quod facturus erat in diebus eorum, & seipsos tegere à venturâ irâ. Atque ne hoc fatum jam in ipsos superveniat, *Judæos* hoc loco cavere jubet *Apostolus*, excidium *Hierosolymæ* horrendum præsignificans.

V. 48. Καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, ut *Vetus*, *Ordinati* ut *Beza*, eodem tamen sensu. Dura verò & insolens est illa versio, neque quadrat, ut haud pauci sentiunt, cum Scriptura. Quidni ergò, ut saltem locus iste nil momenti afferat tam controverso sensui, de quo nunquam erit, usque dum *Elias* venerit, disputandi finis, distinguantur & vertantur verba ista potiùs in hunc modum: καὶ ἐπίστευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι, εἰς ζωὴν αἰώνιον, *Et crediderunt, quotquot convenerunt, in vitam æternam. Judæi* seipsos indignos judicârunt vitâ æternâ, v. 46. *Gentes* autem *audientes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt in vitam æternam quotquot convenerunt*: τεταγμένοι, posito pro συνηγμένοι, qua voce usus est *Evangelista*, v. 44. σχεδὸν πᾶσα ἡ πόλις συνήχθη, *penè universa civitas convenit audire verbum Dei*. *Credere in vitam æternam*

est

est articulus fidei, imò summa fidei, *hæc est enim vita æterna, ut cognoscat te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Joh.* 17. 3. Quoad interpretationem vocis τεταγμένοι, non est omninò nova, nec sine authoritate; vox enim *Hebræa* עֵר', quæ à LXX frequenter vertitur συνάγω, & συναθροίζω, *convenio*, & *congrego*, vertitur ab iis quandoque τάσσομαι, ut *Exod.* 29. 43. יִנָּעֵר שָׁמָּה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל, καὶ τάξομαι ἐκεῖ τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. *Et conveniam ibi filiis Israel*, ut *Pagninus*. Est etiam τάσσω proprie, εἰς τάξιν καθιστῶ, *in ordine colloco*, adeò ut neque à sensu abhorreat, si reddatur, *Et quotquot erant in ordine collocati* (nempè ad audiendum verbum *Dei*) *crediderunt in vitam æternam*; vel, *quotquot erant instructi*, secundum vim vocis alteram, i. e. qui quod docuit *Apostolus* audiverunt. Nec possum aliter sentire, quin εἰς ζωὴν αἰώνιον necessariò oporteat construi cum verbo ἐπίστευσαν, quicquid velit τὸ τεταγμένοι.

Cap. 14. v. 23. Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς &c. i. e. ut alii, καταστήσαντες, in quo sensu multoties occurrit apud *Scriptores Græcos, Ethnicos & Ecclesiasticos. Cùm constituissent illis Presbyteros*, ut scribit *Paulus Tito* 1. 5. ut alii, *ordinantes*, vel *cùm ordinâssent illos*, sensu hodierno *Ecclesiastico*. Ultra verò valeat interpretatio, non minima lis est. Ut dicam ego quod sentio libere, non possum non profiteri, me totum in eorum sententiam ire, qui aiunt *Lucam* hoc loco velle, καταστήσαντες, *constituentes*, non verò *ordinantes* sensu *Ecclesiastico* hodierno. Non enim vel argumento, vel testimonio adhuc vincor, ut credam χειροτονίαν, per se tunc temporis, vel à multis post diebus, significasse χειροθεσίαν vel καθιέρωσιν, adeò ut omne quod affirmat *Zonaras* de acceptione verâ hujus

hujus vocis in initio *Scholii* in *primum Apostolorum Canonem* (quocunque fine vel impulsu) verissimum esse rear. Cujus verba, quia sententiam nostram ita planè exprimunt, (valeant quantum valere possunt) libet hic apponere. Νῦν μὲν χειροτονία καλεῖται, &c. *Nunc quidem Chirotonia vocatur absolutio precum, sanctique Spiritus invocatio, dum sacerdotio quis initiatur & consecrationem sortitur, ex eo dicta, quòd Pontifex extendat manum, benedicens homini ad sacra deligendo; sed ipsum suffragium quondam nominatum est Chirotonia. Nam cùm turbæ liceret in urbibus eligere sacrorum præfectos, conveniebat ipsa turba, & alii quidem hunc, alii deligebant illum; quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos τείνειν τὰς χεῖρας, extendere manus, & per manus ita porrectas numerabantur, qui vel hunc vel illum delegissent; pluriumve calculis electum summo sacerdotio præfecêre. Chirotoniæ nomen hinc desumptum, quo sic etiam Synodorum Patres inveniuntur usi, suffragium nominantes Chirotoniam.* Cujus exemplum profert ex *Laodicensis Synodi canone quinto*. Et hucusque *Zonaras*; ex quo, siqua fides, apertè arguitur vocem χειροτονίας sensu hodierno *Ecclesiastico* esse novam, saltem non in usu tempore *Apostolorum*. Ut hoc verò roboretur plenius, missas faciendo authoritates universas suspectas, vel quæ in quæstionem vocari poterint, provocemus ad æquos judices, ad certa & probata testimonia à primævis *Scriptoribus* petenda, quorum sana & accepta est apud omnes authoritas. Et primò initium sumamus à *Sancto Paulo*, 2 *Cor.* 8. 19. ubi *frater ille, cujus laus fuit in Evangelio*, dicitur χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, *constitutus ab Ecclesiis socius peregrinationis Pauli*, ubi

vix

vix credo quenquam velle sobriè asserere, eum ordinatum fuisse ab *Ecclesiis* sensu *Ordinationis* hodierno. Atque ab eo descendemus ad *Scriptores* proximos, quos omnes agnoscunt genuinos. Inter quos primà vice occurrit *Ignatius*, apud quem in *Epist.* ad *Philadelph.* quæ habetur genuina, legimus verba ista. πρέπον ἐστὶν ὑμῖν ὡς ἐκκλησίᾳ Θεοῦ χειροτονῆσαι ἐπίσκοπον, *Decet vos ut Ecclesiam Dei eligere* sive *constituere Episcopum, Ecclesiæ* scilicet *Antiochenæ*; ubi certè nemo seriò affirmaverit *Episcopos* intelligi, quasi ad *Ecclesiam* repræsentativam hæc dicta forent, cùm indefinitè scribat ad *Philadelphenses*, quos *Ecclesiam* vocat collectivè, & quibus dat præcepta singularia, nullo modo *Episcopis* propria solis. Et ab eo veniamus ad *Scriptores Ecclesiasticos* historicos primævos: in quibus plerumque, ni fallor, si non omninò, voces χειροτονία & χειροτονεῖν, *electionem* vel *constitutionem*, *eligere* vel *constituere* significant. Imò in quibusdam locis certò scio ita necessariò verti, & credo hercle ita jure deberi vel saltem legitimè posse in omnibus. Sic in *Eusebio* legimus, *Hist. Ecclesiast. l. 6. c. 29.* τῶν γὰρ ἀδελφῶν ἁπάντων χειροτονίας ἕνεκα ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας συγκεκροτημένων, *omnibus enim fratribus electionis gratia in Ecclesia congregatis.* Sic in *Socrate, lib. 2. c. 6. Alexander Episcopus Constantinopolis* dicitur esse mortuus, οὐδένα εἰς τὴν αὐτοῦ τόπον χειροτονήσας, *priusquam aliquem in suo loco constituisset:* & *c. 26.* ἐγένετο πολλὴ φιλονεικία περὶ χειροτονίας ἐπισκόπου, ἄλλων ἄλλον ζητούντων, *Magna fuit contentio circa electionem Episcopi, cùm alii vellent alium, alii alium.* Et in *Theodoreto, lib. 4. c. 6.* ἀλλὰ καὶ σύμψηφος τῆς χειροτονίας γεγένημαι. *Non solùm non contradixi, sed etiam tuæ electioni unà cum aliis suffragatus sum.*

Multa

Multa occurrunt similia exempla in his *Authoribus*, & in *Sozomeno*, & apud *Evagrium*, *lib.* 3. *c.* 13. *Pergamius* dicitur ὑπαρχος ὁ Αἰγύπτου χειροτονηθεὶς, *constitutus fuit ex Ægypti*. Sic etiam habemus in *Philone*, in legatione ad *Caium*, χειροτονωμένοις ὑπάρχοις, *constitutis Præfectis*. Ut taceam *Scriptores Ethnicos*, inter quos habet insigne exemplum *Maximus Tyrius*, in quo *Darium* lasciviens equus ἐχειροτόνησεν ὅτι τῶν ἀρχῶν, *constituit principem*. Adeò ut quantum est in me colligere è probatis veterum testimoniis, χειροτονεῖν plerumque, si non omninò, apud eos est ψηφίζειν vel καθιστᾶν, *eligere* vel *constituere*. Fateor eadem vox occurrit in sensu *Ordinationis* hodierno in variis scriptis, quæ præ se ferunt antiquitatem valdè magnam; Ut apud *Apostolorum Canones*, & quæ etiam prætenduntur *Clementis constitutiones*, quibus addi poterit ejusdem valoris χειροτονία ex *Respons. ad orthodoxos*. Sed cùm de eorum singulis authoribus & antiquitate non immeritò dubitetur inter eruditos, non est certè æquum ut suspecta eorum *Authoritas* imponat legem pro usu vocis aliorum testimoniis, quorum fides nunquam vetata est in dubium. Neque verò est probabile *Lexicographos* veteres nullam hujusmodi *ordinationis* mentionem facere, apud quos χειροτονήσαντες, καταστήσαντες, ἐκλεξάμενοι, χειροτονία, ὁμολογῶ, χειροτονεῖν, καθιστᾶν, ψηφίζειν. Vel *Lucam*, quem omnes prædicant τῇ Ἑλληνικῇ ἓν ἄπειρον cum *Sophronio*, velle usurpare vocem in sensu nusquam apud eos cognito vel cognoscibili. Argumentis ergo & testimoniis hiscè fretus, non possum non credere quin τὸ χειροτονεῖν ab antiquo significârit *constituere* tantùm & *eligere*, nec quid aliud. Vocem verò χειροτονήσαντες hoc loco nihil aliud vel ultrà de-

notare quàm *constitutionem* Presbyterorum, quæ facta est à *Paulo* & *Barnaba*, nec καθέδωσιν, nec χειροθεσίαν, *consecrationem* vel *ordinationem*, sensu hodierno *Ecclesiastico*. Prima istius sensus notio expressis verbis in *Authore* probato occurrit in *Hieronymo*, nec in ea parte commentariorum suspecto, *Isa.* 6. 58. ubi χειροτονίαν dicit esse *Ordinationem Clericorum, quæ non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manûs.* Quæ vocis istius acceptio circa ista tempora primùm videtur increbuisse, (etsi nec tum universaliter nota) cum jam pridem variis tumultibus evenientibus inter populum ipsum, & populum & *Clerum* pro electione *Episcoporum*, populus in posterum prudenter exclusus est decreto *Patrum*, vox verò χειροτονίας remansit, ab ipsis assumpta & tractu temporis in suum usum. i. e. in *consecrationis* sensum substituta & accommodata. In summa, nè quis detorqueat sententiam nostram, sola mihi res est cum illis, qui volunt τὸ χειροτονεῖν hoc loco propriè & per se significare καθέδωσιν, nempe *solennem ordinationem cum precibus, jejunio, & impositione manuum.* Hoc ego τὸ χειροτονεῖν hoc loco significare constanter nego. Hos Presbyteros, quos *Apostoli* vel elegerant vel *constituerant* in variis distantibus Ecclesiis, fuisse omnes *consecratos cum precibus, jejunio & impositione manuum* non nego, sed potiùs firmiter credo. Licèt fortè tamen verba in hoc loco id neque evincant, nec quidem ferant, ut quidam volunt, qui pace *sanctissimi* viri *beati Chrysostomi*, non imprudenter vel incogitanter jejunium & preces hoc loco referant ad valedictionem *Pauli* & *Barnabæ*, & non ad constitutionem Presbyterorum, quasi id tantùm obiter narraretur, sensus verò esset secundum veram & rectam constructionem,

onem, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ, &c *Et cùm constituissent illis Presbyteros per singulas Ecclesias, precati cum jejunio commendarunt eos Domino in quem crediderunt.* Neque fuit ejusmodi valedictio omninò incongrua vel insolita. *Act.* 20. 36. *Paulus* valedicturus *Ephesiis, σὺν πᾶσιν αὐτοῖς προσηύξατο, oravit cum omnibus illis:* & 21. 5. valedicturus discipulis in *Tyro, oravit cum eis positis genibus in littore.* Quod si aliquando jejunarent, satis est & id probabile in negotio quod semper solenne fuit. Probabiliter etiam constitutio Presbyterorum in singulis Ecclesiis adeò distantibus, ut fuerunt *Derbe, Lystra, Antiochia,* & *Iconium,* non fuit unius diei opus, quod strenuè fuisse innuitur, si precatio cum jejunio referatur ad constitutionem Presbyterorum.

C. 15. v. 10. Νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν Θεὸν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν &c. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponendo jugum cervici discipulorum?* ut τὸ ποιεῖν ἐνδετα. *Act.* 7. 19.

V. 14. Συμεὼν ἐξηγήσατο καθὼς πρῶτον ὁ Θεὸς ἐπεσκέψατο, λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν λαὸν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *Symeon narravit quomodo Deus primò visitaverat, sumendo ex Gentibus populum nomini suo.* Eadem est dictionis formula cum ea quæ præcessit. Dictio est *Elleiptica,* & supplenda articulo τῷ, & præpositione quæ sensui maximè est congrua, aliquando διὰ, aliquando περὶ, ut *Act.* 27. 1. vel à simili.

C. 16. v. 10. Ὡς δὲ τὸ ὅραμα εἶδεν εὐθέως ἐζητήσαμεν &c. *Ut autem visionem viderat statim studuimus proficisci in Macedoniam.* Mutantur personæ, unde liquet *Lucam* hoc tempore associatum esse *Paulo,* quod *Grotius* pri-

mò observat factum 20. 5. At illud secundum erat tempus cum proficisceretur à *Philippis Troada*, nunc verò profecti sunt à *Troade Philippos.*

C. 17. v. 8, 9. Ἐτάραξαν δὲ τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας ἀκούοντας ταῦτα, καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν &c. i. e. per *Hyperbaton. Commoverunt autem ista plebem & principes civitatis cùm audirent, qui accipientes cautionem à Jasone & reliquis, dimiserunt illos.* τὸ καὶ rectè exponitur *qui* vel *& ille*, subaudiendo αὐτὸς, ut *Matth.* 27. 10. *Act.* 7. 10. & alibi.

V. 30. Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς τανῦν παραγγέλλει &c. *Hæc quidem tempora ignorantiæ despiciens Deus nunc annuntiat omnibus hominibus, ut pœnitentiam agant.* Τοὺς dicitur pro τούτους. *Despiciens*, i. e. *non respiciens*, vel *sine respectu præteriens.* In quo sensu vox illa sæpius accipitur in *Veteri*, ut *Deut.* 22. 1. 3. & 4. & *Job.* 31. 19. Misericordiam Dei nunc in præsenti in gentes prædicat, qui eos priorum temporum sivit perire in ignorantia non respiciens illos: ὑπερείδει, καταφρονεῖ, *Hesych.*

C. 19. v. 9. Ἐν τῇ σχολῇ τυράννου τινός: sic legit *Rob. Steph.* & non Τυράννου cum litera majusculâ. *In Schola cujusdam civitatis principis*; τύραννός ἐστιν ἄρχων πόλεως; *est civitatis princeps. Phav.* Et in hoc sensu videntur *Æthiop.* & *Arab.* Interpretes hanc vocem intellexisse. Sic *Jes.* 13. & *Jud.* 16. sæpiùs in eodem capite pro *Hebræo* טרב', apud LXX ἄρχοντες, *Chaldæus* legit טורבי, *tyranni.* Adeò ut vox videatur *Chaldaica.* Eandem etiam habemus *Dan.* 3. 2. *Esth.* 9 3 *Habak.* 1. 10. *Si nomen est proprium, cur addit* τινός? *Erasm.*

C. 20.

C. 20. v. 8. ἐν τῷ ὑπερῴῳ. Rectè *in cœnaculo*, ut *Vetus.* עלייה. *in superiore parte domus*, à verbo עלה, *ascendit*, *ad quam scalis ascendebatur, ubi antiquitùs cœnabatur*, ὑπερῷον. *Schind.* ut etiam sæpe vertitur à LXX, & *cœnaculum* à *Latino*, sic *Festus*, *Cœnacula dicuntur ad quæ scalis ascenditur.*

C. 21. v. 16. Συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν ἀπὸ Καισαρείας σὺν ἡμῖν ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν Μνάσωνί τινι Κυπρίῳ, ἀρχαίῳ μαθητῇ. Subaudiendum οἱ vel πρὲς τὸν μαθητὴν. *Venerunt simul cum nobis quidam discipuli*, vel *quidam ex discipulis à Cæsarea, ducentes ad Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum, apud quem hospitaremur.* Μνάσωνι pro πρὸς τὸν Μνάσωνα. Verbis enim quæ significant motum è loco Dativus sæpè additur pro Accusativo cum præpositione, ut ὁρμᾷ διὰ τῆς ἀγορᾶς τῇ πόλει, pro εἰς πόλιν. Miror verò cur interpretes quos vidi omnes vertant, adducentes secum *Mnasonem*, cùm neque fieri potuerit cum *Grammatica* vel sensu; multò est enim probabilius *Mnasonem* habitâsse, & jam fuisse *Hierosolymis*, apud quem statuebant hospitari.

C. 22 v. 25. Ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσι, Περτείνει, δίδωσι, *Hesych. ut verò tradiderant eum flagellis.* i. e. *flagellandum*, *dixit astanti Centurioni Paulus*, *num hominem indemnatum & Romanum licet vobis flagellare?* vix credo *Apostolum* distulisse sermonem suum ad *Centurionem* usque dum denudassent corpus & extendissent flagellandum, sed à prima facie flagellorum primam arripuisse occasionem se notum facere.

C. 25. v. 5. Οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν, nempè κατηγορεῖν. *Qui ergo possunt inter vos* accusa-

re *descendant simul, & si quid est in viro crimen accusent eum.*

C. 26. v. 16, Καὶ μάρτυρα ὧν τε εἶδες ὧν τε ὀφθήσομαί σοι, ἐξαιρούμενός σε &c. *Ut constituam te ministrum & testem tum eorum quæ vidisti, tum eorum quæ â te videri faciam, cum eripiam te de populo* (scilicet *Judaico*) *& gentibus, ad quas nunc te mitto.* ὀφθήσομαι opinor accipi in *Hebræorum Hiphil*, ut in *N.T.* accipiuntur plurima.

C. 27. v. 9. διὰ τὸ καὶ νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι. *Eò quòd & jejunium præteriisset.* Non ingratum erit spero nec intempestivum suo loco hic apponere, quod animadvertit alibi *Reverendissimus Usserius* in suis *Veteris Testamenti Annalibus.* Cujus verba sunt hujusmodi. *Unde plusquam veri simile fit, eodem ejectum Adamum fuisse die quo inductus in Paradisum fuerat. Qui quidem dies Mundi decimus esse videatur* (*Kalendis Novembribus anni Juliani proleptici respondens: quo deinceps ad memorabilis hujus casus memoriam conservandam* (*ut rationi consentaneum est*) *instituta est Expiationis solennitas & statum Jejunium* (νηστείας *nomine Act.* 27. 9. κατ' ἐξοχὴν *denotatum*) *in quo universi tam inquilini quam peregrini animas suas affligere jubebantur, adjuncta sanctione severissima, Omnis anima quæ non fuerit afflicta eo ipso die exscindetur è populis suis.* [Lev. 16. 29. & 23. 29.] Quàm verò sit periculosa navigatio post vel circà *Kalendas Novembris non est opus dicere.*

V. 21. Τὴν ὕβριν ταύτην: *Et non comparâsse hanc procellam*, sive *tempestatem.* Ὕβρις, παρὰ τὸ ὕειν βάρος, *eò quòd pluat pondus*

seu

ſeu *graviter*. *Suid.* & in *Pollucis Onomaſtico*, ὑβεισὴς ἄνεμος, *procelloſus ventus*.

In Epiſtolam ad ROMANOS.

ROM. c. 1. v. 17. Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Verba hæc, ni fallor, optimè exponuntur per *Metatheſim*, quaſi ſcriberetur, Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐκ πίστεως ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται εἰς πίστιν. *Juſtitia enim Dei ex fide in eo revelatur in fidem*, i. e. *ut credatur*. Ubi enim hæc juſtitia *Dei* ex fide demonſtretur & credatur, eſt opus ferè totius Epiſtolæ. *Metatheſes* ejuſmodi in *N. T.* ſunt frequentiſſimæ. Quoad Phraſim, εἰς πίστιν, eſt omninò eadem cum ea quæ præceſſit *v.* 5. & quæ ſequitur, 16. 26. εἰς ὑπακοὴν πίστεως, *in obedientiam fidei*, i. e *ut obediatur fidei inter Gentes*. Qualis etiam eſt illa, 15. 18 εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, *in obedientiam Gentium*. i. e. *ut obedirent Gentes*, ut utroque loco plerumque exponitur. Quid verò velit ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, non benè convenit inter *Interpretes*.

C. 2. v. 15. Τὸ ἔργον τοῦ νόμου, *Opus legis ſcriptum in cordibus*. Opus legis eſt accuſare, vel excuſare. Atque id facit conſcientia in uniuſcujuſque corde.

C. 3. v. 5. Εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν Θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, τί ἐροῦμεν; μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; (κατ' ἄνθρωπον λέγω, μὴ γένοιτο· ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον;) εἰ δὲ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι περίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι, καὶ μὴ (καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν·) ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι. *Si verò iniquitas nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Nonne injustus est Deus qui infert iram?* (*secundum hominem loquor, absit; tum enim quomodo Deus judicabit mundum?*) *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit ad ejus gloriam, cur ego tanquam peccator judicor, & non* (*sicut blasphemamur, & sicut quidam nos aiunt dicere*) *quoniam fecerimus mala ut venirent bona? quorum judicium justum est.* Si enim in judicium vocarentur, eò quod fecerint mala ut venirent bona, κατ' ἄνθρωπον possint dicere, se non oportere judicari ut peccatores, sed absolvi potius, si non remunerari, eò quòd fecissent quod tendebat ad *Dei* gloriam. At si hoc daretur, quomodo judicaret *Deus* mundum? si nimirum hoc prætextu evadere possent impii judicium *Dei*, nullus relinqueretur judicandus. Versio est certè in se legitima. Particula μὴ sæpius in *N. T.* vertitur *nonnè*, ut *Matth.* 12. 23. *Joh.* 4. 29. 18. 17. & 25. & alibi, ut etiam in hoc ipso loco vertit *Grotius*. Parùm interest quoad sensum, si vertatur, *num injustus est Deus?* Vide eandem dicendi formulam 9. 14

C. 4. v. 6. Καθάπερ καὶ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου &c. Post λέγει, subaudi κατὰ nempè κατὰ τὸν μακαρισμόν. *Sicut & David dicit de beatitudine hominis cui Deus imputat*

putat justitiam sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. Ubique locus est Accusativo, si intelligas χτ ut Grammatici. Vide *Animad.* in Act 10. 36. & *Rom.* 10. 5.

C. 5. v. 7. Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. *Pro bono forsitan quis audeat mori.* *Pro bono*, i. e. pro eo qui personaliter bonus huic vel illi homini, i. e. *pro amico*, μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, &c. *nemo majorem habet hoc amorem, quàm ut animam ponat pro amicis suis. Joh.* 15. 13. ut exempla rara docent, nec ultra tendit humanus amor. *Commendat* autem *in nos amorem Deus, quòd Christus pro nobis mortuus est, cùm peccatores essemus*, v. 8 etiam cùm *inimici*, v. 10. Peccatores enim & inimici idem valent. *Hic est amor qui cognitionem excedit. Eph.* 3 5.

V. 12, 13, 14. &c. Διὰ τοῦτο, ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον· Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ. Ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου· Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως· καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος. Non' acquiescendum reor *anantapodotis*, si quo modo illæso sensu possint expediri. Neque verò assentior iis, qui volunt versum 13 & 19 re pondere 12, atque eo modo evadere *anantapodosin*. Placet potiùs eorum sententia, qui vertunt καὶ οὕτως, *etiam ita*, vel quod planius frequenti *metathesi*, *ita quoque*, ut Interpres *Syrus*, & *Arabicus*, & alii rec ntiores; qua versione non modò non læditur, sed etiam magis perficitur sensus & syntaxis, sum.ndò τὸ καὶ, hoc loco, quod

quod de priore notavit *Erasmus* non ita opportune, *redditivè*, & non *copulativè*, ut in *oratione Dominicâ*, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, *ut in cœlo etiam in terra.* Atque hoc modo non video quin hæc verba sint in se complèta admodùm & perfecta. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, ita quoque mors in omnes homines pertransiit, eò quòd omnes peccaverunt. Usque enim ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum verò non imputatur ubi non est lex. Imò regnavit mors ab Adamo usque ad Mosem, etiam in eos qui non peccaverunt secundum similitudinem transgressionis Adami, qui typus est futuri.* Videtur *Apostolus* tacitæ quorundam objectioni occurrere, quos negare innuitur omnes fuisse peccatores, quod jam antea affirmaverat. Ideóque fortè sophisticè arguebant, *Christum* non esse mortuum pro omnibus. Est enim *peccatum transgressio legis*; non verò poterant illi legem transgredi qui non habebant, *lex enim fuit a Mose. Joh.* 1. 17. Ut ergo objectionem horum præcoccupet, hoc argumento utitur. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors; διὰ τοῦτο, propterea* pari modo & jure *mors in omnes homines pertransiit, eò quòd omnes peccaverunt.* Ita ut verissimum sit quod asserit. A lapsu *Adami usque ad legem*, i. e. ante legem certe *Mosaicam*, neque enim de alia lege differit per totam Epistolam, *peccatum erat in mundo.* Ultrà verò objicitur, *peccatum autem non imputatur ubi non est lex; lex enim operatur iram.* c. 4, 5 Imò etiam & imputatum est peccatum; *regnavit enim mors ab Adamo usque ad Mosem*, ergo ante legem peccatum & fuit in mundo, & etiam imputatum est. Mortuos esse argumentum est peccâsse, & peccatum

tum imputari, nam *stipendium peccati mors* 6. 23. Ideóque quia *mors pertransiit in omnes*, necessariò statuendum omnes homines peccavisse, & pœnæ mortis factos esse obnoxios, *etiam eos qui non peccaverunt secundum similitudinem transgressionis Adami*, in ipsos enim regnavit mors infantes, qui non peccaverunt nisi in *Adamo, qui typus erat futuri* hominis, subaudito ἀνθρώπου. Repræsentavit enim ille in persona sua totum genus hominum, etiam & infantium, qui ex ipso erant oriundi. Atque eo nomine & sensu appositè dicitur *Adamus* hoc loco τύπος τοῦ μέλλοντος. Scio equidem universos interpretes & veteres & recentes *Christum* intelligere *qui futurus erat*; sed si exactiùs examinetur locus, sensus iste nullam aut vix ullam habet cohærentiam cum contextu. Et si loquamur sensu idoneo, non potest *Adamus* dici *typus Christi; Typus* enim *est expressa figura rei quam repræsentat*, τύπος *respondet* τῷ τυπωθέντι, *ut sigillo cera*. Necesse est ut ejus, quod bonum est, typus sit etiam bonus, ejus verò, quod malum est, typus etiam malus, alioquin non esset typus. Est etiam disparitas inter *Christum* & *Adamum* toto cœlo. Quod si dispar aliquid potest esse typus, si quod nigrum est potest dici typus ejus quod album est, vel curvum recti, non est quod plura dicam. Si ergo velimus loqui proprie, *Adamus* verius & rectius dicitur typus progeniei suæ, quæ ex eo futura erat: & quam virtualiter repræsentavit in personâ suâ, quæ etiam per peccatum ejus obnoxia facta est peccato & pœnæ mortis. Atque ex his verbis in hunc modum expositis fortissimum credo argumentum strui pro originali peccato. Omnes enim homines in *Adamo* facti sunt obnoxii morti & peccato causæ mortis, omnes enim *Adami* transgressionis participes

ticipes facti sunt in ejus lumbis existentes, omnes denique immunditiem naturæ ab eo contraxerunt, qui *filios genuit in imaginem suam, Gen.* 5. 3. Omnes ergò eodem tenentur reatu cum *Adamo*, morte neque promerentur qui ex eo geniti. Neque sum omninò sine teste. Favet versio vel *Paraphrasis Æthiopica*, cujus verba sunt hujusmodi. *Veruntamen dominata est mors propterea ab Adamo usque ad Mosem, tam in iis qui peccaverunt, quam in iis qui non peccaverunt, per illud peccatum Adami, eò quòd unusquisque in similitudine Adami creatus est, & quia Adamus typus fuit illius qui erat venturus.* E quibus verbis mihi pronum est intelligere, aperte eum dicere, Mortem in omnes, etiam in infantes dominatam esse propter peccatum *Adami*, propter has duas causas, & quia unusquisque in *similitudine Adami* creatus est, & quia *Adamus typus fuit illius qui erat venturus.* Quæ causæ etsi videantur duæ, sunt revera tamen una eademque. Est enim altera alterius redditio & explanatio. Idem enim est, *Adamum* typum esse posterorum qui venturi erant, & posteros *Adami* vel venturos in similitudine ejus esse factos. Dicere verò, quòd dominata est mors in omnes per peccatum *Adami*, quia *Adamus erat typus Christi*, præterquam quod sit ἀκόλεθον, est etiam ἀνόητον. Si verò dicas dominatam esse mortem in omnes per peccatum *Adami*, quia *Adamus* erat posterorum typus, i. e. qui in sua persona repræsentavit universum genus hominum, qui ex ipso erant futuri, apposite respondet scopo loci, facillimúmque reor cuivis homini primo intuitu apprehendere; neque verò est in ullo sensu necessarium, ut hoc loco *Adamus* dicatur *typus Christi*. Concluserat his ultimis verbis, quòd voluit *Apostolus*, omnes homines sub

peccato,

peccato, utpote qui in *Adamo* primo typo peccaverunt, atque inde morti facti sunt obnoxii. Actum demum progreditur v. 15. sermone discretivo, Ἀλλ' οὐχ' &c. Ad copiosam satis etiam sine his verbis manifestationem disparitatis inter offensam *Adami* & Gratiam *Dei* in *Christo*. Quomodo etiam typus dicatur typus per *antithesim*, quod ita constanter aiunt, ingenuè fateor non intelligo, neque credo similem typum reperiri in toto sacro codice. Atque hac versione & interpretatione funditus everti reor turrem illam confusionis, quam, fundamentum ponens in hoc ipso loco, sibi struxit luxurians ille calamus, qui fabricavit sibi novum genus hominum quos *Præ-Adamitas* vocat, qui tam fidenter ausus est omnia sacra ventilare. Ultrà per me licet qui vult respondeat, meliùs verò & pro sapientia fiet, si nemo id muneris in se suscipiat. præstat enim vanas & inutiles quæstiones silentio consopire, quàm perscrutando & agitando, præsertim in hac ætate, ἀναζωπυρεῖν.

C. 7. v. 6. Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος ἐν ᾧ κατειχόμεθα. i. e. per frequentissimam trajectionem, Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἐν ᾧ κατειχόμεθα ἀποθανόντος. Et quid magis obvium vel scopo loci magis appositum? *Nunc verò soluti sumus à lege in qua detinebamur mortuâ.* Neque verò est obscurum sine trajectione dicere: *Nunc verò soluti sumus à lege quæ est mortua in qua detinebamur.* Atqui *Paulus nunquam dicturus fuit legem Dei esse mortuam*, ut *Doctissimus Beza*. Et quidni ita dicat *Paulus*? intelligens tamen interim quod *ne unus quidem apex præteribit à lege Dei donec omnia fiant. Matth.* 5. 18. *Legem verò esse mortuam* ἐν τῷ παραδείγματι in *ipso exemplo*

exemplo ostendit, ut *Chrysostomus*. *Lex enim dominatur in hominem quamdiu ea vivit*, ut recitissime *Erasmus*, v. 1. Addens ultra, *In conferenda similitudine Paulus* legem *Viri loco posuit* & hominem *uxoris vice*. *Ut mortuo Viri liberatur Uxor*, *ita antiquata lege liberatur prius obnoxius legi*. *Legem autem* vivere *dicit quamdiù valet*, mortuam esse *posteaquam desiit habere vigorem*. Quo nihil potuit dici rectiùs. Sic *Vatablus*, *vivit*, *jubendi lex*. Et Sic *Grotius*, *Quamdiù lex vivit*, *quamdiù extincta non est*. *Lex enim abrogata mortua est*. 1. *vim obligandi non habet*. Atqui in hoc luto hæserunt diu ni fallor interpretes.

V. 24. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; Optime exponitur per *metathesim*, quasi legeretur, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ σώματος τούτου; *Infelix ego homo*; *quis me liberabit à morte hujus corporis*, *quod tam miserè detinetur sub lege peccati*, *quæ est in membris meis*? A morte, nempe secundâ & æternâ, *statutum* enim *est hominibus semel mori*, à quâ morte non est liberatio expectanda. Perinde ac si dixisset, Quis me liberabit ab æternâ condemnatione, qui sum ita captivus factus & venundatus sub peccato? Atque hunc esse sensum innuunt sequentia. Ἐυχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ &c. Quæ verba supplenda reor, *reddituræ* vel *responsoriè*, cum *Valla*, & aliis, *Gratias ago Deo*, αὐτὸς με ῥύσεται *ipse me liberabit per Jesum Christum*, & tum demum sequitur, c. 8. 1. *Nulla ergo est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu* &c. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati*, & *à morte*, (non *mortis*, ut plerumque exponitur) ut legitimè potest verti, & etiam legit *Interpres*

terpres. *Æthiopicus. Metatheses* ejusmodi sunt in *N.T.* abunde familiares. Vide *Animad. in Act.* 13.27. & 2 *Cor.* 4. 4.

Cap. 8. v. 3 Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν τῷ ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκεινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί. Vertendum per Metathesim. *In eo enim quod impossibile legis infirmum erat propter carnem, Deus filium suum misit in similitudine peccatricis carnis, qui,* sive & *ille* hostia *pro peccato damnavit peccatum in carne.* Antè πέμψας subaudi verbum substantivum ὢν, ut καὶ ἐκλεξάμενον, & *elegit. Luc.* 6. 13. & εὑρόντες γὰρ, *invenimus enim. Act.* 24. 5. quâ nihil familiarius phrasi, qualis occurrit apud *Lucam* 1. 22 Καὶ αὐτὸς ἦν διανεύων αὐτοῖς, & *ipse innuebat illis.* σαρκὸς ἁμαρτίας, *peccatricis carnis*, ut vertimus τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης, *Gloriosum Evangelium*, 2 *Cor.* 4. 4. & similia. Τὸ καὶ necessariò exponitur *qui* vel & *ille*, ut sæpiùs facit *Beza* & *Anglicus*, idque valdè licitè, ut videre est in Animad. *Matth* 27. 10. *Joh.* 15. 6. *Act.* 2 2. 7. 10. & alibi. Non enim *Deus Pater*, nisi loquamur promiscuè, sed quem misit *filius* [*verbum caro factum*] *pro peccato* hostia *damnavit peccatum in carne.* περὶ ἁμαρτίας, ὀρθῶς vertitur, *hostia pro peccato*, ut exponunt Interpretes περὶ ἁμαρτίας *Heb.* 10. 6. & *Psal.* 40. 6. de quo etiam vide apud LXX, *Lev.* 6. 30. & 16. 27. In *Hebræo* enim חטאת vel חטאת, est *peccatum* & *sacrificium expiationis pro peccato*, *Num.* 8 8. *Lev.* 6 25. *Exod.* 29. 14. & alibi: ut etiam dicitur *Hos.* 4. 8. *Peccata populi mei comedunt*, i.e. *sacrificia pro peccatis populi*, contra mandatum *Dei. Lev.* 6. 30. & 16. 27. & 2 *Cor.* 5. 21. *Eum qui non noverat*

noverat peccatum pro nobis peccatum facit, id est *hostiam pro peccato nostro*. Parallelum hujus loci, ut animadvertit *Origenes*, est *Heb.* 9. 26. ὅπαξ συντελείᾳ τῶν αἰώνων εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ πεφανέρωται. *In consummatione seculorum per oblationem sui*, i. e. εἰς ἁμαρτίας, *pro peccato factus hostia, ad destructionem*, i. e. *ad condemnationem peccati apparuit*. Cui etiam potest addi *Heb.* 7. 18. Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται προαγούσης ἐντολῆς διὰ τὸ ἀδυνὲς αὐτῆς &c. Prior enim loco damnavit & destruxit peccatum per immolationem sui, posteriore verò abolevit & damnavit legem *propter ejus infirmum & inutile*. Atque hæc versio hujus loci est in sedegitimâ, utrum sit accommoda, judicet æquus Lector.

V. 19. &c. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται (τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη οὐχ ἑκοῦσα ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα) ἐπ' ἐλπίδι ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν. *Creatio enim* i. e. *mundus avidè expectat revelationem filiorum Dei*; (*vanitati enim subjectus est mundus non volens sed propter eum qui subjecit eum*) *in spe quod & ipse mundus liberabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod totus mundus ingemiscit, & est in dolore partûs usque ad præsens. Veteres* plerumque & *recentes* hunc locum totum intelligunt per *Prosopopœiam* dictum de creatura irrationali, quæ liberabitur in statum incorruptibilitatis in ultimo die. Ego verò cum *Augustino* magis sentio per *vetem κτίσεως hominem intelligi*, neque *sensum*

gemendi

gemendi & dolendi esse in arboribus, quem secutus *Cajetanus* vult κτίσιν hoc loco significare τὰ ἔθνη, frequenter enim sunt in *N. T.* ὁ κόσμος, ἡ κτίσις, & τὰ ἔθνη eadem. Sæpiùs etiam *Gentes* distinctè vocantur *mundus*, in oppositione ad *Ecclesiam Dei*, quæ *de mundo non esse* dicitur, κόσμον τοὺς ἐν ἀπιστίᾳ καὶ ἐν ἁμαρτίᾳ ἀνθρώπους λέγει ὁ Ἀπόστολος. *Phavor.* Potuit quidem irrationalis creatura aliquo sensu expectare liberationem à servitute corruptionis, nullo verò opinor sensu poterant expectare liberationem in *libertatem gloriæ filiorum Dei*. Perinde ergo sensus est ac si dixisset, cùm aio *passiones hujus temporis non esse dignas ad gloriam quæ revelanda est in nobis*, non est quod objiciat quisquam vestrum, hoc nihil ad nos *Romanos* pertinere, promissa enim facta esse *semini Abraham*. Imò etiam dico vobis, in vobis etiam revelandam esse gloriam, quæ futura est sive æterna sive Evangelica. Nolo enim vos ignorare, *Gentes* universas, in quibus vos estis, 1.6.& 9.24. avidè expectare quando patefient filii *Dei* per prædicationem gloriæ *Evangelii*, cùm manifestabuntur fideles ex omni natione qui in *Christum* credunt, qui soli vocantur proprie filii *Dei*, in spe quod & ipsæ liberabuntur ex servitute corruptionis, à mancipiis peccati & erroris in libertatem gloriæ filiorum *Dei*, i. e. Evangelii, in quam vocati sunt fideles, ut *sint ab errore immunes, nec ampliùs servi peccati*; i. e. quòd & ipsæ fient participes ejusdem Evangelii cum sanctis. *Subjectus enim factus est mundus vanitati*, i e. corruptioni erroris & peccati, *non* per se *volenter*, sed *per eum qui* peccato suo *subjecit eum*, scilicet *Adamum*, vel per eum qui ex voluntate sua propter peccatum subjecit eum, nempe *Deum*. Scimus enim quòd πᾶσα κτίσις, *totus mundus*,

enixè hac spe laborat etiam in dolore partus usque ad τὸ νῦν, *nunc præsens tempus Evangelii*, (non dicit εἰς τὸ τέλος, *ad finem mundi*, ut interpretatur *Scholiast. Græc.*) ut participes etiam fiant ejusdem gloriæ cum filiis *Dei*. Quibus tamen id hactenus negatum est, etsi universa *Philosophia* videtur hoc mysterio quasi in partu laborâsse, de summo bono perpetuò litigans, nec tamen unquam attingens scopum. Gentes expectâsse revelationem Evangelii monuit Prophetia ab antiquo. *Gen.* 49. 10. *Et ipse erit expectatio gentium*, ut est in *Veteri*. *Isa.* 42. 4. *Et legem ejus Insulæ expectabunt*: & *Hagg.* 2. 7. ubi Christus vocatur *Desiderium Gentium*. *Evangelium* vocatur ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ, *gloria Dei*. 2 *Cor.* 4. 6. & ἡ δόξα τὸ μυστήριον ἐν τοῖς ἔθνεσιν, *gloria mysterii inter gentes*. *Col.* 1. 27. Φθορὰ est *corruptio*, quæ vitiat mores, δουλεία τῆς φθορᾶς est *servitus corruptionis*, quæ contracta & derivata est ab *Adamo*, *servitus peccati*, ut δοῦλος τῆς φθορᾶς, *servus corruptionis* Apostolus intelligit *injustos*, quos *Deus servat in ultimum judicium*. 2 *Pet.* 2. 19. Est etiam ματαιότης apud *Phavorinum* φθορὰ, πρᾶγμα ἀνόητον, καὶ βλαβὴ ἀνυπόστατον, *negotium insipiens*, & *consilium instabile*, quale est servitus peccati, & cultus Idolorum, quibus subjectæ erant gentes.

C 9. v. 10. 11. Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ Σάρρᾳ υἱὸς, οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ Ρεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν· μήπω γὰρ γεννηθέντων &c. ἐρρέθη αὐτῇ &c. Ante participium ἔχουσα subaudiendum verbum ὦν, quod unaquaque fere occurrit pagina. *Promissionis enim verbum hoc est, secundùm tempus hoc veniam, & erit Sara filius, non solum verò, sed & Rebecca ex uno* sive *altero*

altero concubitum habuit Isaac patris nostri: dictum enim est ei nondum natis &c, major serviet minori. Ecce alterum promissionis verbum, adeò ut ἐξ ἑνὸς intelligendum sit, *ex altero* promissionis verbo. *Concubitum habuit*, est mos loquendi in *Veteri*, apud *Graecos Interpretes* familiaris, tantum est ac si diceres, concepit sive facta est gravida. *Num.* 5. 20. Vir dicitur κοιτῶν διδόναι ἐν γυναικὶ, *concubitum dare in mulierem*; rectè ergo pari ratione in hoc loco dicitur, Ῥεβέκκα κοίτην ἓν ἔχουσα τὸν Ἰσαὰκ, *Rebecca retinuit semen*, sive *concubitum patris nostri Isaac*; i. e. ex eo concepit sive facta est gravida. Videre est eandem phrasin in *Lev.* 18. 23. & alibi. Ita ut non omnino sit necesse pronunciare cum *Beza*, *Est itaque depravatus hic locus à quopiam Graecæ linguæ prorsus ignaro*, cùm ita familiaris conciliatio sit ad manum. Ut verbo dicam quod res est, nimis multa imputantur sacris scriptoribus & *Apographis* eorum sphalmata, cùm inadvertentia vel incuria interpretum sit in vitio. Κατὰ τὸ καιρὸν τοῦτον, verba sunt τοῦ LXX, quos secutus *Paulus*. Atque illi certè legerunt הזה pro הזרה; ideóque verterunt τὸ καιρὸν τοῦτον, pro τὸ καιρὸν τῆς ζωῆς, *secundum tempus vitæ*, quam lectionem veriorem esse & ratio suadet, & codicis *Hebraei* autoritas. *Gen.* 18. 10. & 14. ἐνὸς in sensu nostro est abundè frequens. LXX usurpant pro אחר *altero*. *Gen.* 43. 13. *Psal.* 108. 14. Reperire est etiam in eodem sensu, 1 *Cor.* 4. 6. & apud *Authores Ethnicos*, ut docet *Stephanus*.

V. 22. Εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς &c. Nil opus est *Anantapodoto* vel supplemento; loci cohærentia per se plana est & expedita, incipiendo sensum à versu 20. Μενοῦνγε ὦ ἄνθρωπε,

&c. *Atqui O homo, tu quis es qui contra reſpondeas Deo, ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ?* verbis intermediis, μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα; *num dicet figmentum, &c?* uſque ad, εἰ δὲ θέλων, *ſi Deus volens*, parentheſi includendis. Conjunctio δὲ vel παρέλκει vel eſt *expletiva*.

V. 24. Οὓς καὶ ἐκάλεσεν, ἡμᾶς οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν. Vulgaris eſt tranſjectio, pro οὐ μόνον ἡμᾶς ἐξ Ἰουδαίων, i. e. Variato vulgari commate, ut ſupra. *Quos etiam vocavit, non ſolum nos ex Judæis, ſed etiam* eos *qui ſunt ex gentibus.* Subintelligendo, τὲς. i. e. *Non ſolum nos Judæos, ſed etiam Gentes.*

C. 10. v. 5. Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τὲ νόμε, ὅτι &c. Formula eſt loquendi omnino eadem cum ea quæ præceſſit, 4. 6. adeò ut hîc etiam ſubaudiendum χρι. *Moſes enim ſcribit de juſtitia quæ eſt ex lege, quod qui ea fecerit per ea vivet.* Quale eſt etiam, ὃν ἔγραψε Μωσῆς, *de quo ſcripſit Moſes*: ut *Syrus* & *Beza*, ſubaudiendo κατὰ. *Joh.* 1. 45.

C. 11. v. 2. Ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τὲ Ἰσραὴλ. *Quomodò conqueritur Deo contra Iſraelem.* In quo ſenſu vox ἐντυγχάνει occurrit, 1 *Mac.* 8. 3. 10. 63. & 11. 25. Eſt enim ἐντυγχάνει παρσπίπτειν. *Heſych.* & *peculiariter* παρσπίπτειν *dicuntur qui ſupplices accedunt. Steph.* Accedere verò licet *Deo* utrovis modo vel per *interceſſionem* vel per *querelam*. Non verò idoneè vertit *Anglicus*. How he meketh interceſſion to God againſt Iſrael, Intercedimus enim pro vel propter, ſed non contra aliquem.

C. 11

C. 11. v. 21. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται. Quid opus est supplemento? ὀρθῶς dicitur pro more loquendi τῶν LXX in *Vetere*. Cujus etiam videre est exemplum 2 *Tim.* 2. 25. exponendo μήπως ut μήποτε, *fortè*. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, fortè neque tibi parcet.*

C. 12. v. 19. Ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ, μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ut immediate præcedit. *Nolite vosmet ipsos ulcisci, sed date locum ultioni*, i.e. *Ministro Dei*, qui est ἔκδικος εἰς ὀργὴν, *vindex ad ultionem ejus qui malum fecerit.* 13. 4. Scriptum est enim ut proximè sequitur, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος, *Mihi vindicta, ego rependam, dicit Dominus.* Sic etiam 3. 5. ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργὴν, *Anglicus* vertit, **who taketh vengeance**, *qui infert vindictam*; ut docemur etiam *Eph.* 4. 26. nullo modo dare locum τῷ διαβόλῳ, *Diabolo*, nempe iracundiæ, ut patet ex contextu. Sic *Plutarch.* περὶ ἀοργησίας. Δεῖ μήτε παίζοντας τῇ ὀργῇ διδόναι τόπον. *Non decet vel ludentes dare locum iracundiæ.*

C. 14. v. 1. Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. *Infirmum fide assumite non ad dijudicationes cogitationum*: i. e. non ut dijudicetis vel discriminetis interiores cogitationes, si quid aliter ex infirmitate fidei sentiat ac vos ipsi sentitis. *Temerarias censuras prohibet Apostolus*, ut *Hieronymus*: Quod sequentia abunde indicant. Nec verò significans vel omninò apposita est interpretatio eorum, quæ vertit vel *ad dubias disputationes*, vel *ad certamina disputationum.* Præterquam etiam quòd διαλογισμὸς in *N.* & *V. T.* plerumque accipitur pro *cogitatione hominis secum ratiocinantis*, ut rectè observavit *Stephanus.*

C. 16. v. 25. Τῷ δὲ δυναμένῳ &c. Cur hæc

Doxologia hodie attexatur ad calcem hujus capitis, non possum non mirari, cùm ferè apud omnes ex confesso sit, hos versus in omnibus antiquis exemplaribus, ut etiam remanent apud *Græcos Patres*, scriptos reperiri in fine capitis decimi quarti, excepto codice *Alexandrino*, qui ex abundanti forte cautela legit in utroque loco. Quantum verò de hac re licet conjicere, mihi ita se habere videtur. Vulgaris erat opinio apud *Veteres*, quæ ab *Hieronymi* verbis in hunc locum est & in posteros derivata, *Marcionem* hæreticum capita 15. & 16. tota dissecuisse, quoniam contra sententiam ejus adeò faciebant, & deinde apposuisse, ut celaret fraudem, hanc *doxologiam* ad finem capitis 14, post verba illa, *Omne quod non est ex fide est peccatum*, eo nomine quòd ibi Epistolam finiri voluerit. At hoc ab eo factum ego quidem valdè dubito, licèt non negarim quin id totum tentaret dissecare. *Orthodoxos* verò eorúmque posteros hac opinione ductos, ut ex suo zelo *Marcioni* occurrerent, consultò potiùs credo hanc *doxologiam* ab eo loco, ubi non erat affixa fraude *Marcionis*, sed ab ipso *Apostolo*, removisse ad finem capitis 16. ut ita includerent omne quod *Marcion* voluit expungi, è suo loco aio eâ causâ removisse; non enim conjicere est quo alio fine id factum fuerit. Licet tamen doxologiæ, quod non animadverterunt quicunque id fecerint, in fine epistolarum *Pauli* non sunt omnino usitatæ. Cui semper solenne fuit in fine Epistolæ aliâ salutatione uti. *Quod est signum in omni Epistola, ita scribo, Gratia Domini &c. 2 Thes.* 17. 18. Ideoque miror magis cur id factum fuerit, vel cur hodie factum remanet; facimus enim *Apostolum* sibi ipsi contradicere. Neque verò est finis capitis 16 omninò appositi, nullam enim habet cum contextu

textu cohærentiam, cùm interim aptissimè connectatur ad calcem capitis 14, ubi cùm de periculo dubitantis animi jam ferè toto capite disceptaverat, perappositè succedit hæc *doxologia*, Τῷ δὲ δυναμένῳ &c. *At gloria Dei qui potis est stabilire vos secundum* vel *per Evangelium meum* &c. Ut enim *Chrysostomus*, & alii interpretes *Græci* animadverterunt in hunc locum, ἔδει τὸν Παῦλον εἰς εὐχὰς καὶ δοξολογίας καταλῆξαι τὸν λόγον: *Moverat Paulo cum voto & doxologia concludere exhortationem.* Cùm ergo cessaverit causa, vel certè notitia ejus, ob quam hi versus pio fortasse zelo in initio rejecti fuerintad finem capitis 16, ut omne quod *Marcion* dissecari voluit reincluderent, non piaculum imò non ingratum animo meo hodie fecerit, quisquis eos in suum locum remiserit ad calcem capitis 14, post verba illa, πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστίν.

In primam Epistolam ad CORINTHIOS.

1 COR. c. 2. v. 2. Οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν &c. *Non enim decrevi* vel *necessarium duxi*, eos qui *in vobis* vel *inter vos sunt*, i. e. *vos aliquid scire nisi Jesum Christum eumque crucifixum.* Τὸ ἐν ὑμῖν dictionem esse reor Elleipticam, ἀντὶ τοῦ,

τὰς ἐν ὑμῖν. Qualis est illa in *T. V.* ויהרג במשמניהם, καὶ ἀπέκτεινεν ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν, *& occidit in pinguibus*, i. e. ut *Lat. pingues eorum*, *Psal.* 78. 31. ἐν τοῖς πίοσιν, posito pro τὰς πίονας αὐτῶν, pro במשמניהם, *the fattest of them*, ut est in *Anglico*, Et illa etiam in *Hebræo* solo, ראו בגוים, *videte inter gentes* vel *in gentibus*, i.e. *Videte O gentes*, vel *vos qui estis inter gentes*, ut plerumque exponitur *Habak.* 1. 5. Similis occurrit etiam in *Novo. Joh.* 16. 17. εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν, *dixerunt ergo ex discipulis*, i. e. *discipuli*, ut *Vetus.* Et *Luc.* 21. 16. καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν, *& morte afficient ex vobis*, ut *Interlinearis*, i. e. ut alii, *trucidabunt vos.* Neque opinor voluit *Apostolus* intelligi quid sibi, sed quid *Corinthiis* necessarium foret scire, ideóque se *venisse* ait *non in sublimitate sermonis* vel *sapientiæ* &c. Nihil enim voluit eos *scire*, nisi *Jesum Christum cúmque crucifi um.*

V. 6. Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις : *Sapientiam loquimur in sacris.* Non de personis, quos sequenti capite *infantes in Christo* vocat, adeò procul à perfectione aberant, sed de rebus loquitur per totum caput. Phrasis est hujus loci peculiaris. *Sermo noster*, &c. *non est* ἐν πειθοῖς, *in suasoriis humanæ sapientiæ*, sed ἐν ἀποδείξει, *in demonstratione Spiritûs*, ἐν μυστηρίῳ *in mysterio*, ἐν διδακτοῖς &c. *in iis quæ edocti sumus à Spiritu sancto*, *quæ oculus non vidit*, nec *auris audivit*, *nec in cor hominis ascendit*, σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, *Sapientiam loquimur in sacris* : τέλεια, ἱερά. *Hesych.* τέλεια, ἱερά. *dicebant eximia vel sanctiora. Bud. Com. Ling. Gr.*

C. 3. v. 12, 13. &c. Εἰ δέ τις ἐποικοδομεῖ &c. Sensus hujus loci est hujusmodi ; Quòd si quis minister

miniſter *Evangelii* ſuperædificaverit ſuper hoc fundamentum. i. e. *Jeſum Chriſtum, aurum, argentum*, vel *lapides pretioſos*, doctrinam nempe de fide puram, ſolidam, & ſtabilem, ſive *fœnum, ligna*, vel *ſtipulam*, i e. doctrinam levem, caducam, & momentaneam, *qualiſcunque ea fuerit, dies manifeſtabit*, cùm ignis probationis venerit, *quale ſit cujuſcunque opus*, τὸ πῦρ δοκιμάσει *ignis*. i e *perſecutio probabit*. In eo die qui ædificati ſunt in purâ, ſolidâ, & ſtabili doctrinâ, manebunt firmi; atque inde *Miniſter mercedem accipiet*, perſeverantiam nempe eorum quos in fide ſtabilivit. Qui verò tincti ſunt principiis laxis, & minùs firmiter radicati, cùm ſupervenerit probatio perſecutionis, deficient animis, & deſciſcent à fide, atque ita *Miniſter perdet operam ſuam*, αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός, *ipſe verò ſervabitur, ita verò ut ipſe per ignem* evadat. i. e. ſi in igne perſecutionis firmus ipſe manſerit. Τὸ πῦρ & πύρωσις paſſim in *Scriptura* ſignificant *probationem afflictionum* & *perſecutionis*. Quid verò velit μισθὸν λήψεται, *mercedem accipiet*, & ζημιωθήσεται, *operam perdet*, clarè indicant *Johannes*, Ep. 2. ubi cùm priùs monuiſſet *Electam Dominam* & *liberos ejus multos impoſtores ingreſſos eſſe in mundum, Attendite vos ipſos* addit, *ne perdamus quæ operati ſumus, ſed ut* μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν, *mercedem plenam accipiamus*. Et *Paulus*, ubi in Epiſtola ad *Philippenſes*, 2. 16. hortatur eos λόγον ζωῆς ἐπέχειν, *verbum vitæ firmiter tenere, ut gloriari poſſit in die Chriſti, ſe non fruſtrà cucurriſſe, nec in vanum laborâſſe*, i.e. *operam perdidiſſe*. En mercedem *Pauli*, ut gloriari poſſit propter eorum perſeverantiam in die *Chriſti*.

C. 5. v. 12. 13. Τί γάρ μοι κ. τ. ἔξω κρίνειν;

νειν; ἀχὶ τὸς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε, τὸς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρινεῖ, καὶ ἐξαρεῖτε τὸ πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Ne quis miretur lectionem, sciat, puncto aliquos distinxisse post ἀχὶ, ante *Theophylacti* tempora, ut ipse monet, & κρινεῖ pro κρίνει, & τὸ πονηρὸν pro τὸ πονηρὸν, legisse *Theodoretum*, ut etiam legit *Græca Editio Aldi impressa cura Asulani. Venet.* 1518. Quod opinor multo magis convenit scopo loci quam hodierna lectio. *Quid enim mihi eos etiam qui foris sunt judicare? Non omnino. Eos qui intus sunt judicate vos; eos verò qui extrà sunt judicabit* vel *judicet Deus, & tolletis malum è vobis ipsis.* Quasi diceret, Nil nostrâ interest judicare eos qui extra Ecclesiam sunt, judicate verò vos eos qui intrà sunt, & sic demum *auferetis malum è vobis*, i. e. vos ipsi insontes eritis mali. Eos verò qui extra Ecclesiam sunt, æquum est relinquere judicio *Dei*. Atque ista certè lectio in neutro genere optime congruit cum usu ejusdem dictionis in *Vetere*, unde eam mutuatum esse *Apostolum*, non est quod quis dubiter. Sic sensit *Chrysostomus*, ἐμνημόνευσε τῆ ῥήσεως ἐν τῆ παλαιᾷ, *Meminit dictionis in Vetere.* Sic *Theodoretus*, Μωσαϊκὴν τέθεικε μαρτυρίαν, *Mosaicum opposuit testimonium.* Verùm phrasim istam nullam aliam ferre lectionem in *Vetere* vel sensum, quàm in neutro genere, manifestum erit cuivis qui examinaverit locorum circumstantias ferè ubicunque occurrit. Pro exemplo, ubi de puella agitur, in qua non inventa fuit virginitas. *Deut.* 22. 21. *Ipsa lapidibus obruetur, & morietur,* καὶ ἐξαρεῖς τὸ πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, *& auferes malum è medio tui*, ut *Vetus*. In quo loco *malum* significat *reatum*, ut *Deut.* 21 9. Et qui nuperrimus est in Grammatica novitius agnoscet *solœcismum* in *Editione Romana*, quæ in hoc loco legit

legit τὸ πονηρὸν, ut etiam v. 22. & 24. ejusdem capitis, in quibus utrisque locis lectio est æquè incongrua, licèt prudenter ab emendatione cautum est in Bibliis nostris *Polyglottis*, ne ansam cavillandi *Romani* inde arriperent. οὐχὶ, οὐδαμῶς nequaquam vel non omnino. *Hesych.* & *Phavor.*

C 6. v. 1. Πρᾶγμα ἔχων, *negotium habens*, i e. *litem*, in quo sensu τὸ πρᾶγμα passim accipitur apud *Græcos*, sicut & *negotium* apud *Latinos.*

V. 2. Ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων; *Indigni estis ut de minimis judicetis?* ut *Vetus. Indigni estis minimis judiciis?* ut *Beza.* Sed neq; id satis plane; non enim intendit actum judicii, sed locum. κριτήριον enim apud *Authores* nusquam significat *judicium*, i. e *judicandi Actum*, sed *sedem ubi judicium agitur.* Atque idem est cum voce δικαστήριον, in quo sensu usurpatur *Jud.* 5. 9. *Dan.* 7. 10. *Susan.* 49. *Jac.* 2. 6. Expressius ergo ad vim vocis redditur, *Indigni estis minimis subselliis? Subsellia* enim dicuntur *in quibus minutiora judicia exercentur*, secundùm *Asconium.*

V. 4. Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια &c. Versio vulgaris [*secularia igitur judicia si habeatis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite*] est neque mori loquendi apud *Græcos*, neque sensui, nec syntaxi accommoda In hac enim versione opinor Interpretes *judicia* intelligere *lites* de rebus hujus vitæ: at κριτήριον, ut modo dixi, nusquam apud *Authores* in isto sensu reperitur. Quod si dicant velle eos tribunalia, planè aiunt quod *Apostolus* disertè negat, increpans eo nomine quòd non haberent, sed potiùs vellent judicari coram infidelibus. Ipsa etiam illatio non est adeò

adeò sensui conformis, quin satis causæ sit ἐπέχειν, & melius inquirendi in hanc versionem. Quæ facillimè restituitur in commodiorem sensum & syntaxin, idque sine vi vel solœcismo, variatis tantum punctis per *Hyperbaton*. Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια, ἐὰν ἔχητε τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τούτους, καθίζετε. *Secularia igitur subsellia, si habeatis hos contemptibiles in Ecclesia, constituite.* *Hyperbata* ejusmodi sunt in *N.T.* frequentissima, ut alibi sæpiùs memoravimus. Perinde est ac si diceret: Quid? num judicio vultis experiri apud infideles, quos contemptibiles habetis in Ecclesia? num iniquos & impios sinetis judicare inter vos, quos vos ipsi olim judicabitis? *An ignoratis fore ut Angelos judicetis? & non secularia judicabimus?* constituite ergo inter vos ipsos judices, constituite vobis tribunalia, ad pudorem vestrum dico. *Itane, non est inter vos sapiens? nè unus qui possit judicare inter fratres?* Procul absit ab *Apostolo*, ut jubeat constituere homines contemptibiles in loco judicii, nihil minus; imò exprobrat, quòd adeò indignè de seipsis æstimârint, ut provocarent ad judicia infidelium, quasi *non esset nè unus quidem sapiens inter ipsos*, certè eo ipso nomine satis innuens, sapientem esse oportere, & non contemptibilem quemvis, qui constitueretur judex in Ecclesiâ. Durissima est etiâ phrasis illa, τοὺς τούτους καθίζετε, neque *Hebraismo* salvari credo; quòd si verus esset *Hebraismus*, legi oportuit, τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτοὺς καθίζετε, & non τούτους. Quoad phrasim, καθίζειν κριτήριον, eadem est ac τὸ καθίζειν δικαστήριον in *Aristophane* & *Libanio*. Sed altiùs radices egit inveterata opinio, quàm ut amoveatur nisi authoritate aliquâ magisteriali, vel invaluit supina incuria. Atque hoc fatum

etiam

etiam prophanis scriptoribus commune. Quomodo enim aliter fieri potuit, tam stupendam versionem nec in hodiernum usque diem emendatam præterire, idque in re momenti, in primo limine *Ptolomæi*, in ipsa *Geographiæ* definitione, nisi fato quodam essent occæcati *Interpretes*, in errorem ducti importunâ duarum vocum connexione, legendo διαγραφῆς *conjunctim*, pro διὰ γραφῆς *divisim*? Eo quòd ab antiquo nulla adscriberentur puncta vel commata vel accentus. Ἡ γεωγραφία μίμησίς ἐστι διαγραφῆς τοῦ καταλειμμένου τῆς γῆς μέρους ὅλου &c. *Geographia est imitatio picturæ totius partis terræ cognitæ &c* quod certè, quicquid aiunt, est insignificans, pro Ἡ γεωγραφία μίμησίς ἐστι διὰ γραφῆς &c *Geographia est imitatio per picturam, per descriptionem*, sive *in tabula totius partis terræ cognitæ.* Nomen ipsum *Geographiæ* quid aliud significat quàm *descriptionem terræ*?

C. 7. v. 14. Ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι· *Alioquin* [nisi parentum alteruter esset fidelis] *liberi vestri essent immundi*, i. e manerent *Ethnici*: νῦν δὲ, *nunc verò* [quoniam parentum alter est fidelis] ἅγιά ἐστιν, *sancti sunt*, i.e. reputantur membra *Ecclesiæ Christianæ*. Et in hac notione credo *Apostolum* sæpiùs usurpare vocem ἅγιος, ut in initio hujus Epistolæ, τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, κλητοῖς ἁγίοις, *Ecclesiæ Dei quæ est Corintho, iis qui vocantur sancti*, & *Eph.* 1. 1. τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ, *sanctis qui sunt Ephesi.* Ecclesia enim & sancti sunt sæpiùs apud *Apostolum* Synonyma, ut apparet etiam alibi, manifestissime verò 2 *Cor.* 1. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est in Corintho cum omnibus Sanctis qui sunt in universâ Achaiâ. Corinthus* verò erat Metropolis *Achaiæ. Qui enim nomen dederant*

derant Christo in Primitivâ Ecclesiâ dicebantur sancti, ut rectè *Drusius*. Non quòd omnes, qui essent in Ecclesia *Corinthi* vel *Ephesi*, erant revera sancti, sed quia membra erant visibilia *Ecclesiæ*, ideo vocabantur *sancti*, & ob eam causam liberi eorum ex alterutro parente fideli, qui fuit vocatus *sanctus*, participes facti sunt Baptismi, quomodo filius Proselytæ factus est particeps circumcisionis, etiam infans octiduanus. Et si liberi eorum qui vocantur *sancti*, cùm sint etiam ipsi *sancti*, non capaces sint Baptismi, in quo præcellunt *sancti* immundis? quid inde habent commodi, eò quòd vocentur vel reputentur *sancti*? An id tantum habent commodi, quòd nati sint in fœdere? Imò, si nati sunt in fœdere, debentur iis etiam jura fœderis, pari modo quo liberi proselytæ in *Judaicâ* Ecclesiâ fruebantur jure circumcisionis. Et si antè Baptismi collationem moriantur, forte quàm primum nati, si nascuntur *sancti*, quis interdicet illis jus ad regnum *Dei*? Omnem alienigenam *Judæi* vocabant ἄνθρωπον ἀκάθαρτον, *hominem immundum*. *Act.* 10. 28. & 1 *Cor.* 6. 17.

V. 16. 17. Ἢ οἶδας, ἄνερ, εἰ γυναῖκα σώσεις; εἰ μὴ ἐκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεὸς, &c. *Græcus Scholiastes* legit, ἢ μή; idonee connectens verba illa priori versui, ἢ οἶδας, ἄνερ, εἰ γυναῖκα σώσεις, ἢ μή; ἑκάστῳ &c. At quid opus est variare lectionem? vulgatis cum distinctione sola sufficit: ἢ οἶδας, ἄνερ, εἰ γυναῖκα σώσεις, εἰ μή; ἑκάστῳ &c. *Quid nôsti, O vir, utrum uxorem servabis, utrum non? Unicuique ut fortitus est Deus, unumquemque ut vocavit Dominus, ita ambulet.*

V. 23. Τιμῆς ἠγοράσθητε, μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.*

minum. Hæc punctatio & versio videntur respicere redemptionem per *Christi* sanguinem, & verbatim implicant doctrinam expresse contrariam ei, quam modo docuerat. Quasi quoniam redempti essent per *Christi* sanguinem, non oporteret eos diutius esse servos, cum verbis proxime præcedentibus jubeat eos *non curare, si vocati essent ad Christianismum cùm essent servi*, sed *in qua vocatione vocati sunt in ea manere.* Adeo ut aliquis alius sensus exquirendus magis appositus, qui fortè legendo priora verba interrogative potest esse hujusmodi. Τιμῆς ἠγορά σθητε; μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων· *Pretio redempti estis? nolite fieri servi hominum.* Non loquitur de redemptione à captivitate Satanæ vel peccati, sed à servitio humano, ut colligere est ex contextu, qui nihil habet commune cum redemptione spirituali. Cohærentia enim est hujusmodi. *Servus vocatus es? ne sit tibi curæ; Pretio redempti estis? nolite fieri servi hominum; sed si potes etiam liber esse, magis utere*, ut 21. *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat apud Deum* Continuationem suadet in eo statu, in quocunque quis vocatus est ad *Christianismum*, dat interim libertatem sese redimendi. Ulaicum verò monendum ultrà: Ἀνθρώπων, intelligendum reor, ἀπίστων, ut antea, ubi ἀνὴρ ὁ ἄπιστος, *maritus infidelis*, dicitur sanctificari ἐν τῇ γυναικὶ, *in uxore*, & ἡ γυνὴ ἡ ἄπιστος, *uxor infidelis* dicitur sanctificari ἐν τῷ ἀδελφῷ, *in marito*, subaudiendum est γυναικὶ τῇ πιστῇ, *uxore fideli*, & ἀδελφὲ πιστῷ, *marito fideli*, ut legunt quædam exemplaria *Græca*, & *Latinus vetus.* Non dissuadet ab omni servitio, sed, ut antea monuit in impari conjugio, idem hoc loco monet in impari servitio. Ac si diceret, An vocatus es ad fidem *Christi*, cùm sis ipse servus viri infidelis, noli

propterea

propterea anxius esse, esto verò contentus eo statu, nisi poteris te honestè liberare, *ne nomen Domini & doctrina blasphemetur*, 1 *Tim* 6.1.

V. 26. Διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην. Hæc verba aliqui volunt respicere *Luc.* 21. 23. quasi de desolatione, quam futuram ibi prædixit *Jesus*, intelligeret hoc loco *Paulus*. Sed ista ἀνάγκη μεγάλη, *tribulatio magna*, de qua *Lucas*, futura erat ὅτι ἔσται γῆς καὶ ὀργὴ τῷ λαῷ τούτῳ, *in hac terra & in populo isto*, nempe in terra *Judææ*, & in populo *Judæorum*, nec de ullo alio populo vel gente prædixit ibi *Jesus*. Adeò ut non foret omnino rationi consonans interpretari, *Paulum* velle *Corinthios* à conjugio abstinere propter illam tribulationem, quæ tam longè à suis distabat finibus, nec immediatè tangebat eos. Alii majore fateor cum ratione de persecutionibus intelligunt quæ instabant: sed si contextum animadvertamus seriò, intelligendum potiùs reor, *propter pressuram imminentem* incommodorum, quæ conjugium perumque comitantur, de quibus postea *Apostolus*. Διὰ τὰς ἐν αὐτῷ δυσκολίας καὶ τὰ τῦ γάμυ ὀχληρά. *Propter ejus difficultates conjugiique molestias*. *Theophylact.*

V. 29. &c. Per parenthesim & trajectionem exponendum, τῦτο δέ φημι ἀδελφοὶ (ὅτι ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ὄστιν) ἵνα καὶ ἔχοντες γυναῖκας ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι, καὶ οἱ κλαίοντες ὡς μὴ κλαίοντες, καὶ οἱ χαίροντες ὡς μὴ χαίροντες &c. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τῦ κόσμυ τῦτυ. *Hoc autem dico fratres*, (*quoniam quod remanet breve est tempus*) *ut & qui habent uxores sint tanquam non habentes, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, &c. præterit enim figura hujus mundi*. Τὸ λοιπόν, non malè intelligitur, τῦ βίυ, *residuum vitæ*. Quasi

si diceret, Hoc autem dico vobis, quoniam tam breve est tempus vitæ, adeóque cito pede transeat mundus, *ne soliciti sitis nimium*, ut postero monet versu, sive propter tristia sive propter delectabilia hujus mundi.

V. 35. Τοῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν συμφέρον λέγω, οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὐσχήμον καὶ εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ, ἀπερισπάστως. *Hoc verò dico ad utilitatem vestram, sive ad id quod vobis sit conveniens, non ut vinculum vobis imponam, sed ad id quod honestum est, & decorum Domino, sine violenta abstractione*, nempe in verba mea: ἀπερισπάστως, μὴ βίας ἀφαιρεῖσθαί τι. *Vi aliquid abripere. Suid.* οὐχ ἵνα ἀναγκάσω ὑμᾶς καὶ θέλοντας καὶ μὴ θέλοντας παρθενεύειν. *Non ut cogam vos & volentes & nolentes in virginitate degere.* Τὸ δὲ ἀνάγκαιον βρόχον καλεῖ: *Necessitatem enim* sive *compulsionem vocat vinculum. Schol. Græc.* Ἀπερισπάστως, *sine violenta abstractione*, i. e. sine compulsione. Non ut vi aliquâ vos traham in verba mea. βρόχος, δεσμός. *Hesych.* εὐπάρεδρον, ad verbum, sermone *Gallico*, *bienseant*, *quod bene assidet*: ἀξίως τῷ Θεῷ, *dignè Deo. Joh.* 3. 6.

C. 9 v. 17. 18. Εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω, μισθὸν ἔχω· εἰ δὲ ἄκων οἰκονομίαν πεπίστευμαι, τίς οὖν μού ἐστιν ὁ μισθός; Ἵνα εὐαγγελιζόμενος &c. *Si enim volens hoc facio mercedem habeo: sin invito dispensatio est concredita, quæ mihi tandem est merces? ut evangelium prædicans sine sumptu faciam evangelium, ne utar potestate mea in evangelio.* Ac si diceret, si volens prædicavero merces mihi debita est, eamque jure poteram exigere. *Dignus enim est operarius mercede sua. Luc.* 10. 7. & *qui attendit ad altare participat cum altari*, ut suprà, v. 13. εἰ δὲ ἄκων

κων οἰκονομίαν πεπίστευμαι, *si vero nolenti* vel *invito dispensatio mihi est concredita* (ut fuit *Paulo Act.* 9. & 26.) *quæ mihi merces tunc est* debita si evangelium prædicavero? certè nulla: oportet verò ut evangelium prædicem, quàm fieri potest, sine onere vel sumptu, & non utar potestate quam habeo *ex evangelio vivere*, *Necessitas enim mihi incumbit, imo væ mihi si non prædicavero.* v. 16. Delendo comma post ἄκων, melius ut opinor perficitur & completur sensus. κατα-χρῆσθαι usurpatur sæpius pro simplici χρῆσθαι. ut etiam apud *Latinos abuti* pro *uti*.

C 11. v. 7. Γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ὅτι. *Mulier verò imago viri est. Vir quidem non debet velare caput, εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων, quoniam sit figura & imago Dei. Mulier verò imago viri est.* Vox תמונה, quæ apud *Hebræos* est *imago quæ ab alia re deducta est*, à LXX vertitur δόξα, *Num* 12. 8. *Psal.* 17. 15. Sic δόξα, εἰκασμός. *Phav.*

V. 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς Ἀγγέλους. *Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite per* vel *propter Angelos. Habere*, i. e. *tenere, æstimare*, vel *agnoscere*, in quo sensu *habere* accipitur apud *Latinos*, ut τὸ ἔχειν apud *Græcos*. *In capite* est *in viro*, versu enim tertio *vir* vocatur *caput mulieris*, & *Eph* 5. 22, 23. *mulieres* jubentur *viris suis esse subditæ*, i. e. potestatem agnoscere in viris suis, ὅτι ὁ ἀνὴρ ὅτι κεφαλὴ τῆς γυναικός: *quoniam vir est caput mulieris.* Vis interpretationis & argumenti est a verbis præcedentibus hujusmodi. *Vir non est ex muliere, sed mulier ex viro, neque creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Διὰ τοῦτο, *Ergo debet mulier agnoscere potestatem in viro.* Cujus omnino simile occurrit argumentum

argumentum 1 *Tim.* 2. 12, 13. *Mulier in silentio discito cùm omni subjectione, mulierem enim non docere permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim prior formatus est, deinde Eva.* Cùm ergo argumenta sint eadem, quid ultrà dubitemus, quin unus & idem sit locorum sensus. cùm id ferat verborum usus & constructio? Quoad enim expositionem eorum, qui ἐξουσίαν volunt poni μετωνυμικῶς pro *velamine*, subjectionis signo, est opinor violenta & coacta nimis, quàm ut licitè (dictum sit cum venia) admitti debeat. Præterquam etiam quòd non cohæreat aptè cum scopo loci, cujus connexio est hujusmodi. *Quoniam vir non est ex muliere*, &c. *Ergo debet mulier potestatem agnoscere in capite, verumtamen neque est vir sine muliere, neque mulier sine viro*, &c. Quibus verbis posterioribus mitigare videtur *Apostolus* injunctionem quæ præcesserat, nè videatur severa nimis. Ac si diceret, verum est quidem, *Quia vir non factus est ex muliere, sed mulier ex viro, & quia vir non creatus est propter mulierem, sed mulier propter virum, ergo debere mulierem agnoscere potestatem in capite*, i. e. *in viro*, jure hoc creationis, *veruntamen neque est vir sine muliere, neque mulier sine viro per Dominum. Nam sicut mulier est ex viro, sic etiam vir est ex muliere, omnia verò ex Deo.* Planè innuens tale ad invicem esse relationis vinculum, quoniam alter sine altera esse nequit, ut virum nullo modo deceat suæ potestati quamvis à *Deo* jure creationis sibi datæ nimium vendicare vel indulgere, sed ea uti cum modestiâ & sobrietate. Atque hæc est necessaria hujus loci cohærentia. Quid verò huc attinet mulieris gestatio velaminis in capite, non equidem video. Quoad verba, διὰ τοὺς Ἀγγέλους, *per* vel *propter Angelos*, nihil o-

pinor aliud denotant, quam *mulierem debere agnoscere potestatem in viro per* vel *propter ipsum Deum*, qui per ministerium Angelorum in hoc ordine creavit illos,& non longo post creationem tempore imposuit etiam mulieri expressis verbis hanc legem subjectionis, cujus meminit *Apostolus* 1 *Cor.*14. 34.ubi mulier jubetur subjici, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει, *ut etiam lex dicit*: Quam legem consentiunt universi ipsam esse quæ occurrit *Gen.* 3. 16. καὶ αὐτός σου κυριεύσει: *& ipse in te dominabitur.* Atque hæc certe data est per ministerium *Angelorum*,ut fuit etiam *Mosaica*, *Act.* 7. 53. *Gal.* 3. 19. & *Heb.* 2. 2. Omnia enim *Dei* opera ad extra fiunt per eorum ministerium; non enim potest recte *Deus* dici habere os vel manus, vel loqui, vel præire vel propriè quicquam agere, ideóque frequens est adscribere *Angelis* quod soli debetur *Deo*, quoniam ut ministri mandata ejus exequuntur; atque hinc non raro promiscuè vocantur *Angeli* nomine *Dei*, & *Deus* nomine *Angelorum*. E. g. *Act.* 7. 35 dicitur,ἐν χειρὶ Ἀγγέλου, *per manum Angeli, qui apparuit ei in rubo*: at verò ille *Angelus* vocatur *Deus*, *Exod.* 3. 6. & 7. Sic etiam infrà in eodem capite, μετὰ τοῦ Ἀγγέλου, *qui fuit cum Angelo qui locutus est ei in monte Sina.* At verò etiam hic *Angelus Exod.* 19. sæpiùs dicitur fuisse *Deus*,& 53. εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων *per ordinationes Angelorum*, quomodo etiam dicitur *Gal.* 3. 19. ὁ νόμος διαταγεὶς δι' Ἀγγέλων, *lex ordinata per Angelos*, cùm dicatur *Exod.* 20. 1. *& locutus est Elohim.* Sic etiam dicitur *Gen.* 48. 15. Ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ, ὁ Θεὸς ὁ τρέφων με, ὁ ἄγγελος ὁ ῥυόμενός με, &c. *Deus Abrahami & Isaaci, Deus qui nutrivit me, Angelus qui liberavit me, &c.* Ut etiam *Jud.* 13. 21. & 23. *Manoah* vocat *Angelum Dei Deum*,

um, scivit enim quòd fuit Angelus Dei, & statim dicit *moriemur quia vidimus Deum*. Atq; ex his exemplis, quibus addi multò plura poterant, manifestum est, non omninò esse rarum, sed abundè frequens, adscribere *Angelis* quæ *Deus* per eorum ministerium facit, ideóque nec esse novum, si *Apostolus* hoc loco dicat, *mulierem debere agnoscere potestatem in viro per* vel *propter Angelos*, eo nomine intelligens ipsum *Deum*. In summa, hæc interpretatio tam genuine fluit à verborum ordine, atque adeò non opus habet peregrino auxilio ad sui explicationem, ut confidam admodùm eam esse germanam atque ipsam veram.

V. 21. Ἕκας⊙ γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει, ἐν τῷ φαγεῖν κ) ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει. In plerisque, si non in omnibus codicibus, distinguitur commate post φαγεῖν. Versio verò ista, *propriam cœnam præsumit in edendo*, duriùs sonat, ideóque arbitror meliùs distingui, ut suprà, post προλαμβάνει, *Unusquisque enim præsumit cœnam propriam, & in edendo* sive *inter edendum*, i. e. cùm edant cœnam *Domini*, *hic quidem esurit*, *ille verò satur est*. Quoad trajectionem: sunt frequentes adeò trajectiones ejusmodi in *N. T.* ut non possim non attonitus mirari quenquam in ea hærere, præsertim cùm magis accommodum reddat sensum, & etiam tollat insolentiam phrasis. In summa sensus & cohærentia est ejusmodi. *Cùm igitur convenitis in unum*, i. e. in Ecclesia, *non est*, quod facitis, *Dominicam cœnam edere*; unusquisque enim suam privatim accipit, prius quàm alii convenerint, atque hinc *in edendo alius esurit*, *alius satur est*. Opulenti quidem qui cœnam suam secum ferunt, saturantur, pauperes verò, οἱ μὴ ἔχοντες subaudi δεῖπνον, *qui non habent cœnam*, *esuriunt*. Mos vide-

tur fuiſſe *Corinthiis* ditioribus antevertere cœnam *Dominicam* edendo propriam per ſe privatim, priuſquam convenirent pauperes. Sed hoc non fuit *Dominicam cœnam edere*, quæ vocatur κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, *communio* ſive *communicatio corporis Chriſti*, 1 *Cor*, 10. 16. ideoque pergit *Apoſtolus* increpare, *An non domos habetis in quibus edatis & bibatis? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent* [cœnam?] *Quid dicam vobis? laudabo vos in hoc? non laudo.* Et ſic tandem poſt ſermonem alium de cœna *Domini*, uſque ad v. 33. rurſus ad hunc redit, quem brevi concludit monitu, *Itaque fratres mei, cùm convenitis ad edendum*, cœnam nempè *Domini*, *Expectate alius alium, quod ſi quis eſurit, domi edat, nè ad condemnationem conveniatis*: μεθύει, πεπλήρωται. *Heſych.*

C. 12. v. 7. πρὸς τὸ συμφέρον. *prout fuerit expediens.*

V. 11. Διαιροῦν ἴδια ἑκάστῳ καθὼς βούλεται, i. e. ἴδια χαρίσματα: *Diſtribuens ſua* dona *unicuique prout vult*, ὥστε Δεσπότης καὶ Θεὸς, *ut Dominus & Deus. Theophylac. Heb.* 2. 4. vocantur μερισμοὶ πνεύματος ἁγίου κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν. *Diſtributiones Spiritus ſancti ſecundum ſuam ipſius voluntatem.*

V. 19. Μὴ πάντες δυνάμεις; *Num omnes ſunt virtutes?* ut vulgò. Inepta certè dictio. Rectiùs verba iſta connectuntur & diſtinguuntur cum ſequentibus, v. 30 μὴ πάντες δυνάμεις; μὴ πάντες χαρίσματα ἰαμάτων ἔχουσι? *num omnes* habent *virtutes*, *num omnes habent dona curationum?* repetendo τὸ ἔχουσιν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. *Virtutes*, i. poteſtatem etiam vel morte puniendi, & miracula edendi.

C. 14. v. 2 Ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ οὐκ ἀνθρώποις

πως λαλεῖ, ἀλλὰ τῷ Θεῷ, οὐδεὶς γὰρ ἀκούει, πνεύματι δὲ λαλεῖ μυστήρια. *Qui loquitur lingua*, i. e. peregrina, *non hominibus loquitur, sed Deo, nemo enim intelligit, spiritu verò loquitur mysteria*, i. e. *spiritu*, quem donavit ei *Deus*, variis loquendi linguis in ædificationem Eccleſiæ loquitur abſcondita, quæ non intelliguntur ab iis qui ſunt ἰδιῶται, nec aliam linguam callent quàm maternam: ἀκούει frequenter in *Veteri* ſignificat *intelligit*, ubi *Hebræa* vox eſt שָׁמַע, ut *Gen.* 42. 23. *Deut.* 28. 49. & alibi.

V. 13. Hic verſus optimè diſtinguitur poſt προσευχέσθω. διόπερ ὁ λαλῶν γλώσσῃ προσευχέσθω, ἵνα διερμηνεύῃ. *Quapropter qui lingua loquitur* peregrina *precetur, ut interpretetur.* Acſi diceret, ſi quis precetur linguâ peregrinâ, precetur ita ut interpretur aliquis, quid precatus ſit, *quomodo enim aliter qui ſupplet locum idiotæ dicturus eſt Amen*, ſi quid dictum ſit, omnino non intelligat. Optimè *Valla*, *Non orat Deum ad hoc obtinendum ut interpretetur, ſed ſi aliqua linguæ preces ad Deum faciat, ſic faciat ut ejus linguæ interiorem ſenſum interpretetur*, vel per ſe vel per alium: τὸ ἵνα videtur pari ſenſu accipi infrà 31. Δύνασθε γὰρ καθ' ἕνα πάντες προφητεύειν, ἵνα πάντες μανθάνωσι, &c. *Poteſtis enim omnes alius poſt alium* ſive *ſingulatim prophetare, ut omnes diſcant*, i. e. *ita ut omnes poſſint diſcere* quod neutiquam fieri potuit, ſi multi loquerenturſimul. ut etiam *Joh.* 10. 17. *Quia ego pono animam meam, ἵνα πάλιν λάβω αὐτὴν, ut iterum ſumam eam*, i. e. ut exponit *Grotius*, *ſed ita ut eam ſim recepturus*; vel ut *Maldonatus*, *ita mori, ut paulo poſt ad vitam ſit rediturus*: τὸ ἵνα his locis non finem indicat ſed modum.

V. 14. Ἐὰν γὰρ προσεύχωμαι γλώσσῃ τὸ πνεῦμα

μα προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι· *Si enim precer linguâ* [peregrinâ] *spiritus meus* (quem dedit mihi *Deus* variis ut loquar linguis) *precatur, sed mens mea est infructuosa, nemo enim intelligit, Mens mea*, i. e. *sensus meus*. Quid igitur? προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ. *Precabor spiritu*, (quem mihi dedit *Deus*) *precabor etiam cum sensu*, ita ut ab omnibus intelligar. Νοῦς, *mens, sensus*. *Gloss. vet.* νοῦν δὲ ἔχει τίνα; *quis est horum verborum sensus?* *Aristoph.* Aliqui τὸ πνεῦμα interpretantur *vocem*.

V. 25. Καὶ οὕτω τὰ κρυπτὰ καρδίας αὐτοῦ φανερὰ γίνεται. subaudi αὐτῷ, post γίνεται. *Et sic occulta cordis ejus manifesta ei fiunt*. i. e. Ignorantia, incredulitas, & impietas cordis ejus quæ tam diu latuit, nec si unquam anteà innotuit, nunc fit ei manifesta, ita ut statim *procidat in faciem, & adoret Deum*. Eadem est elleiptica dicendi formula 16. 12. καὶ πάντως οὐκ ἦν θέλημα, nempe, αὐτῷ. *Et prorsus non erat voluntas ei, ut nunc veniret*.

V. 27. Εἴ τε γλώσσῃ τὶς λαλεῖ, κατὰ δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, καὶ ἀνὰ μέρος, καὶ εἷς διερμηνευέτω. Subaudi, ἔστω, *Si quis loquitur linguâ* [peregrinâ] *duabus vel ad maximum tribus fiat, idque singulatim & unus interpretetur*, &c. Plurimis linguis fieri potuit unum aliquem posse loqui, ἐυταξίας δὲ ἕνεκα, *ordinis verò gratia* duabus vel tribus ad plurimum permisit uti, iisque singulatim non confusè. Quod verò, κατὰ δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, de personis aliqui intelligant, videtur mihi ab ipso sensu prorsus alienum. Quomodo enim loquatur quis per alium, nisi ipse, quid dicat, alii dictet, non intelligo. Atque hoc idem foret, acsi ipse sibi sit interpres.

V. 30.

V. 30. Ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ, &c. *Si verò quid alteri revelatum fuerit assidenti, prior sileat*, i. e. priusquam loquatur ille cui revelatum est, *Potestis enim omnes singulatim*, i. e. *alius post alium prophetare, ita ut omnes discant, &c.* καὶ πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. *Et spiritus Prophetarum Prophetis sunt subjecti.* Ita ut *Propheta* cui aliquid revelatum est, cùm sit *Dominus* sui ipsius spiritus, ut pro suo arbitrio potest, ita omnino debet spiritum illum revelationis supprimere, usque dum alter finem loquendi fecerit, ut ordo servetur in Ecclesiis; ὁ γὰρ ἀκαταστασίας &c. *Non enim est Deus confusionis Deus, sed pacis*

C. 15. v. 29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Cur immerguntur pro mortuis, i. e. tanquam mortui, συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι, *consepulti cum eo*, nempe *Christo, in baptismate*, Rom. 6. 4. & Col. 2. 12. si non ut per emersionem ex aqua, quod est typus resurrectionis post sepulturam, certiores fiant, quod si etiam ipsi resurgant à morte in peccatis ad novitatem vitæ, resurgent etiam cum *Christo* post mortem in gloriam? quasi diceret, In vanum utitur Ecclesia symbolo Baptismi, si non est resurrectio. Est enim Baptismus mortis & resurrectionis *Christi*, & etiam omnium fidelium typus, & sic apud antiquos universim accipitur, ut videre est in *animad.* 1 Pet. 3. 22. 23. Atque hanc doctrinam appellat *Zonaras*, τὸ καθ' ἡμᾶς μυστήριον τῶν δύναμιν, *vim mysterii* religionis Christianæ; planè affirmans eos ματαιοπονεῖν, *frustrà laborare*, sive *operam perdere, qui baptizantur, si de resurrectione dubitent,*

per

per baptismum nempe & emersionem in aquam baptisterii, & ex ea emersione, mortem & resurrectionem denotantes, per ea verò quæ dicunt de ea dubitantes, vel in ea fidem non habentes. Quod qui faciunt, certè faciunt frustrà: ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, intelligi ait *Chrysostomus*, σωμάτων, in majorem fidem addens, ἢ γὰρ ὅτι τούτῳ βαπτίζῃ τὸ νεκρὸν σῶμα ἀνάστασιν πίστευων, &c. *Propter hoc baptizaris mortui corporis resurrectionem credens, nempe quod non maneat mortuum. Et tu quidem per verba dicis* sive *profiteris mortuorum resurrectionem, sacerdos autem in quadam imagine quæ credidisti & per verba es confessus, etiam per res ipsas ostendit; quando absque signo credis, tunc tibi etiam præbet signum.* Adulti enim cùm baptizarentur, ore priùs confessi sunt se credere in resurrectionem mortuorum, & deinde in ea fide baptizati sunt. Sic etiam *Tertullianus*, *Pro mortuis tingui est pro corporibus tingui, mortuum enim corpus ostendimus. Quid facient qui pro corporibus baptizantur, si corpora non resurgant?* Atque huic sententiæ accedit etiam *Theodoretus*, ὁ βαπτιζόμενος τῷ δεσπότῃ συνθάπτεται &c. *Qui baptizatur Domino consepelitur, ut cùm mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis; si autem corpus est mortuum, & non resurgit, cur tandem baptizatur?* Atque in hac ego sententia plenè acquiesco, quicquid præter vel aliud proferunt doctissimi viri à scopo & mente *Apostoli* prorsus alienum & incertum judicans.

V. 37. Vulgo legitur, Ἄφρον, σὺ ὃ σπείρεις; &c. *Insipiens, tu quod seminas* &c. Cur non potiùs distinguitur & legitur, Ἄφρον σὺ ὃ σπείρεις &c. *Insipiens tu, quod seminas* &c ut sonat in Anglico, **Thou fool, that which thou sowest** &c.

&c. Et ſic cum magis Emphatico ſenſu vitatur non neceſſaria *metatheſis.*

C. 16. v. 3, Ὅταν δὲ παραγένωμαι, οὓς ἐὰν δοκιμάσητε, διὰ ἐπιστολῶν τούτους πέμψω ἀπενεγκεῖν τὴν χάριν ὑμῶν εἰς Ἱερουσαλήμ. *Cùm autem adfuero, quoſcunque probaveritis, per Epiſtolas mittam eos auferre beneficentiam veſtram ad Jeruſalem.*

In ſecundam Epiſtolam ad CORINTHIOS.

2 COR. c. 1. v. 9. Ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν. *Imò habuimus ipſi in nos condemnationem mortis:* i. e. adjudicati fuimus morti, ut contextus valdè innuit: ἀπόκριμα, κατάκριμα. *Heſych.* & *Phavor.*

C. 2. v. 12. Ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Τρωάδα, εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ καὶ θύρας μοι ἀνεῳγμένης ἐν Κυρίῳ, οὐκ ἔσχηκα &c. *Quum veniſſem autem Troadem, & oſtium mihi apertum eſſet per Dominum ad Evangelium Chriſti, non habui requiem ſpiritui meo &c. eò quòd non invenerim Titum fratrem meum illic,* qui ſi præſens levâſſet mihi onus, quod ſoli adeò preſſè impendebat, ut nullam relaxationem habuerim ſpiritui meo. *Valde cruciatum animo fuiſſe* affirmat *Theodoretus, cùm videret multos ad prædicationem accedere, non habens*

bens socium ministerii. Trajectiones hujusmodi ut sæpiùs dixi, sunt frequentissimæ.

C. 4. v. 2. συνίζωντες ἑαυτὸς. *approbantes nosmetipsos* In quo sensu vox eadem occurrit. 7. 11. & alibi.

V. 4. Ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐπύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοὺς τὸ φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ. ut idoneus fiat sensus & constructio, τὸ ἐν vertendum reor, *inter*, & in hoc & in præcedente versu, sequentia verò per *metathesim*, ut fecerunt aliqui è *Veteribus*. *Quod si opertum est Evangelium nostrum*, ἐν ἀπολλυμένοις *inter eos qui pereunt est opertum. Inter quos Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi, nè luceat illis lux gloriosi Evangelii Christi*, i. e. luceat ut videant & intelligant. Videtur *Paulus* respexisse ad *Isaiæ* 6. 10. ubi dixit ei *Dominus*. *Vade* &c *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videant oculis* &c. *& convertantur*: αἰὼν est propriè *ævum*, & non *mundus*. *Infidelium hujus sæculi* intelligit præcipue *Judæos*. Si quis in trajectione adhuc hæreat, præterquam quòd è *Veteribus* senserunt idem, sciant velim innumeras esse ejusmodi in *N. T.* E. g. præter quas jam alibi memoravimus. *Joh.* 11. 4. ἀπῆλθεν εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν, pro εἰς πόλιν λεγομένην Ἐφραὶμ, *abiit in civitatem quæ vocatur Ephraim*. *Act.* 13. 1. Ἦσαν δέ τινες ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν προφῆται καὶ διδάσκαλοι, pro ἦσαν δέ τινες προφῆται καὶ διδάσκαλοι κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν ἐν Ἀντιοχείᾳ. *Erant verò quidam Prophetæ & Doctores in Ecclesia, quæ fuit in Antiochia.* & 25, 22. Ὁ δὲ ἄνειον, φησὶν, ἀκούσομαι αὐτοῦ. pro Ὁ δέ φησιν, ἄνειον ἀκούσομαι αὐτοῦ. *Ille verò inquit, cras audies eum.*

eum. Vide etiam *Animad. Act.* 13. 27. 1 *Pet.* 3. 21, 22.

V. 6. Ὁ εἰπὼν, *qui jussit è tenebris lucem splendescere:* εἶπον, ῥῆμα προστακτικόν. *Vox mandatoria,* ut vox אמר apud *Hebræos.*

C. 5. v. 1. Ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους pro ἐὰν ἡ ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους ἡμῶν καταλυθῇ. *Si terrestris domus hujus nostri tabernaculi dissolvatur* &c. τοῦ positum est pro τούτου. Vide similes metatheses. 2 *Pet.* 3. 2. *Jud.* 18. & alibi

V. 3. Versus iste, opinor, parenthesi includendus, (Εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα.) Εἰ verò hoc loco videtur esse ῥῆμα εὐκτικόν, & vim habet *Optativi.* Precationes enim ejusmodi apud *Apostolum* sæpe interveniunt in medio sensu, γε frequenter vacat. Adeò ut verborum sensus & ordo sit hujusmodi. *In hoc enim domicilio ingemiscimus habitationem nostram, quæ ex cœlo est, superindui cupientes. (Utinam etiam induti non nudi reperiamur.) Nam qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, non quod velimus e ui, sed superindui ut absorbeatur quod mortale est à vita.* οὐ γὰρ ἀποδύσασθαι τὸ σῶμα, ἀλλ' ἐπενδύσασθαι τὴν ἀφθαρσίαν ὀρεγόμεθα, *Non enim exuere corpus, sed superinduere immortalitatem cupimus. Theodoret. Continuare vitam lucrifacta morte per vicariam demutationem,* ut *Tertull.*. Precatur interim *Apostolus,* ut in ultimo die inveniantur cœlestem habitationem superinduti, & non ea destituti. Timet, μή ποτε δοκῇ τις ἐξ αὐτῶν ὑστερηκέναι, *ne quis eorum comperiatur se frustratus esse.* Vide similes loquendi formas, *Matth.* 22. 11. & *Apocal.* 3. 18. 16. 15. Quoad usum τοῦ Εἰ, in formula precationis sive *Optativè,* vide *Animad. Luc.* 12. 49.

C. 6.

C. 6. v. 13. Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν (ὡς τέκνοις λέγω) πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς. Subaudi κατὰ, *secundum vero eandem compensationem (ut filiis loquor) dilatamini & vos.* Quasi diceret, *sicut cor meum dilatatum est erga vos*, v. 11. sic etiam vicissim dilatamini & vos in visceribus vestris erga nos. Ubique locus est Accusativo, si intelligas κατὰ.

C. 8. v. 1. Τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ &c. *Ingentem beneficentiam, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ.* Collectam significat, quæ fiebat in Ecclesiis *Macedoniæ*, quæ *abundavit etiam supra vires in copiosa benignitate in ministerium sanctorum Dei in Jerusalem*, de qua *Rom.* 15. 26. χάρις, δώρεα, *Hesych.* χάριν Θεοῦ. Est *Hebraismus*, tectéque vertitur, *ingentem beneficentiam*, vel *ingens donum quod datum est.* Qualis est *Jud.* 13. 6. איש האלהים, ἄνθρωπος Θεοῦ, *vir Dei*, i.e. *cujus species erat augustior quàm hominum communiter*, ut *Drusius*, vel *qui mirum in modum erat facie veneranda*, ut *Vatablus*. *Psal.* 80. 10. כהררי אל τὰς κέδρους τοῦ Θεοῦ, *Cedros Dei*, i.e. *proceras Cedros*, & *Psal.* 36. 6. א־ז־אל, *Justitia tua Domine*, ὡς ὄρη Θεοῦ, *sicut montes Dei*, i.e. *excelsi montes. Scriptura enim rem excellentem significatura, subjungit ei unum ex Dei nominibus. Schindl.* ut videre est etiam in *Hebræo*, *Gen* 30. 8. & 1 *Sam* 14. 15. Vide *Bezam* in verba illa, δύνατα τῷ Θεῷ, 10. 4. atque hujus Epistolæ 11. 2. ubi verba illa, ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ, *Schol. Græc.* interpretatur, περικαῶς φιλῶ, *Ardenter amo vos.*

V, 18, 19 Συνεπέμψαμεν δὲ μετ' αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν (οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν)

μῶν). σὺν τούτῳ τῇ χάριτι τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν πρὸς τὸ αὐτὸ τὸ Κυρίου δόξαν καὶ προθυμίαν ὑμῶν. *Una vero misimus cum eo fratrem (cujus laus est in Evangelio, nec id solum, sed etiam qui constitutus est ab Ecclesiis socius peregrinationis nostræ) cum hoc ministerio* sive *dono, quod administratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & ad vestram animationem.* Inprimis hoc loco visum est parenthesim latius extendere, magis enim consonum est dicere hunc fratrem missum à *Paulo* vel ab Ecclesiis unà cum *Tito*, cum hoc ministerio sive dono, quàm ab Ecclesiis constitutum vel delectum socium peregrinationis cum eo ministerio vel dono dicere Et deinde προθυμίαν ὑμῶν, recte opinor verti, *ad animationem vestram.* Est enim *animare*, προθυμίαν ἐμβάλλειν, nempe ut sitis in dando alacriores & promptiores, *cum probos atque integros viros esse perspexeritis, qui pecunias vestras recipiunt* & administrant, ut *Chrysostomus.*

V. 23. Εἴτε ὑπὲρ Τίτου &c. εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν &c. post Τίτου repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ quod præcessit. v. 20. τὶς ἡμᾶς μωμήσεται, & ante ἀδελφοὶ ἡμῶν, subaudiendum ἐισιν. *Sive* quis nos carpat *propter Titum, Socius est meus & apud vos adjutor, sive* sunt *fratres nostri, apostoli Ecclesiarum, gloria Christi* Commendat singulis separatim & conjunctim, primò *fratrem cujus laus fuit in evangelio.* v. 18. probabiliter *Lucam*, secundò fratrem *quem in multis probaverat diligentem* fortè *Barnabam.* v. 22. tertiò *Titum* quia *erat socius* &c Et tum denique omnes tres conjunctim, quia erant *fratres, apostoli ecclesiarum* ad deportandum earum beneficentiam ad sanctos in *Jerusalem*, & *gloria Christi.* Atque hoc ab eo factum ut ab omni suspicione eos liberaret,

raret, ne quis illos vel ipsum *carperet in plenitudine quæ admistrata erat* ab eis, *providebant enim bona non solum coràm Deo sed etiam coram hominibus.* v. 20 & 21.

C. 9. v. 5. Ἐυλογίαν ὑμῶν, *beneficentiam* vel *liberalem vestram collectionem*, à λέγω colligo; ἐυλογία, πληθυσμὸς ἀγαθῶν ἐξ ἑκουσιότητος διδόμενος. *Phav.*

V. 8, 9, 10, &c. Δυνατὸς δὲ ὁ Θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν (καθὼς γέγραπται, ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησιν, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα· ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρματα τῷ σπείραντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν, χορηγήσαι καὶ πληθύναι καὶ αὐξήσαι τὰ γενήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν) ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα (ἥτις κατεργάζεται δι' ἡμῶν εὐχαριστίαν τῷ Θεῷ, ὅτι ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης οὐ μόνον ἐστὶ προσαναπληροῦσα τὰ ὑστερήματα τῶν ἁγίων, ἀλλὰ καὶ περισσεύουσα διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Θεῷ) διὰ τῆς δοκιμῆς τῆς διακονίας ταύτης δοξάζοντες τὸν Θεὸν ἐπὶ τῇ &c. *Qui verò potens est Deus omnem gratiam faciat abundare in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habeatis, abundantes in omne opus bonum, (sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus, misericordia ejus manet in æternum. At qui suppeditat semen seminanti, & panem ad escam, suppeditet & multiplicet sementem vestram, & augeat fructus misericordiæ vestræ) in omni divites facti ad omnem liberalitatem (quæ adoperatur gratiarum actionem per nos Deo, quoniam ministerium oblationis hujus non solum est supplens inopias sanctorum, sed etiam redundans per* vel *propter multas gratiarum actiones Deo) per probationem ministerii*

hujus

hujus glorificantes Deum in subjectione &c. Non equidem video quid opus sit hoc loco vel *Hebraismo* vel *Atticismo*, ut salvetur sensus & constructio. Si enim bene animadvertantur binæ quæ in his verbis occurrunt parentheses, prout nunc distinctæ, adeò planus est sensus & syntaxis, ut liceat currenti legere & intelligere, participiis πλουτιζόμενοι & δοξάζοντες regendis à verbo πρεσεύοντε, v. 8. Satius etiam putavi in formula precationis vertere, quia solenne est *Paulo*, ut observant *Patres, cum voto & prece concludere exhortationes. Multiplicet & augeat fructus misericordiæ vestræ*, Est ingeminatio voti, nempe nè deficiant unquam, sed ut omni bono sufficienter abundantes, habeant semper quod dispergant in pauperes. Δικαιοσύνη enim proculdubio hoc loco significat misericordiam, ut sæpe alibi: & sic sensit *Theophylactus*. Vocem enim חסד LXX frequenter vertunt δικαιοσύνη, de quo vide animad. Matth. 1.

C. 11. v. 4. Καλῶς ἠνείχεσθε. Dictum σαρκικῶς vel *Ironicè*; ut est illud *Mar.* 7. 9. καλῶς ἀθετεῖτε, *pulchrè* sive *bellè rejicitis præceptum Dei, ut traditionem vestram observetis*: & etiam hoc loco, *Si quis enim veniens alium Jesum prædicet, quem nos non prædicavimus*, &c. *pulchrè* sive *bellè toleraretis eum*. Ἀνείχεσθε γὰρ &c. *Toleratis enim si quis vos in servitutem redigat*. v. 20. Levitatem eorum dum arguit, monstrat quomodo *mentes eorum*, quod modo dixerat, *corruptæ fuerint à simplicitate quæ est in Christo. Bellè narras* est *Ironia Proverbialis de re dicta vehementer absurdâ. Eras.*

C. 12. v. 21. Μὴ πάλιν ἐλθόντα με ταπεινώσῃ ὁ Θεός μου πρὸς ὑμᾶς. *Nè rursus quando venero, Deus me vilem reddat apud vos.* Alludens

ad quod antea dixerat, 10 1.ὁ κατ' πρόσωπον μὲν ταπεινός, *Qui coram vilis sum.* Quasi diceret, Metuo nè quomodo me pro vili habuistis, cùm essem antea apud vos, sic etiam cùm rursus ad vos venero, *Deus* permittat me vilem haberi in oculis vestris, atque inde *lugere cogat multos eorum qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam*, nec, quia me despectui habent, curabunt agere. Ut ταπεινὸς est *vilis*, sic ταπεινόω est *vilem reddo.*

C. 13. v. 5. Ἑαυτοὺς πειράζετε εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει, ἑαυτοὺς δοκιμαίζετε (ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε ἑαυτοὺς ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν ὑμῖν ἐστιν;) εἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε. Versus iste ut & proximè sequentes necessariò respiciunt & respondent verbis in initio tertii, sensu sequente in hunc modum. Ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ (ὃς εἰς ὑμᾶς οὐκ ἀσθενεῖ &c.) ἑαυτοὺς πειράζετε εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει, ἑαυτοὺς δοκιμάζετε, εἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε &c. *Quandoquidem quæritis probationem in me loquentis Christi (qui erga vos non infirmus &c.) tentate vosmet ipsos num sitis in fide, vosmet ipsos probate, si* vel *utrum non sitis sine probatione* in vobis loquentis *Christi*, quam in me quærere non veremini. *Spero autem vos cognituros quòd nos non sumus* ἀδόκιμοι, i. e. ut respondeat tertio, *sine probatione in me loquentis Christi. Precor autem Deum nè quid mali faciatis, non* [precor] *ut nos appareamus* δόκιμοι, i. e. *cum probatione in nobis loquentis Christi, sed ut vos faciatis quod bonum est, nos verò simus* ἀδόκιμοι, *sine probatione illa.* Ἀδόκιμοι in hoc loco nil aliud significat quàm ἄνευ τῆς δοκιμῆς, ab ἀ privativa, & δόκιμοι, *sine probatione* vel in *Apostolo* vel in *Corinthiis* loquentis *Christi.* Verba prætermissa illæso sensu parenthesi

includuntur

includuntur. Ut verò, si adhuc opus est, quid velim planius fiat, liceat sine tœdio percurrere totum *Apostoli* de hac re sermonem brevi Paraphrasi. Audiverat *Apostolus* fuisse inter *Corinthios* qui ipsum non pro dignitate *Apostoli* æstimabant, sed habebant pro *homine secundum carnem ambulante*, 10. 2. qui inter se etiam dixerant, *Epistolæ quidem ejus graves sunt & validæ, sed præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis*, atque hinc sumpserunt sibi licentiam liberius peccandi, non credentes omnino venturum, *ideoque inflati*, 1 *Cor.* 4. 18. vel si veniret, non venturum *cum virga & terrore*; imò non veriti sunt ipsum *Apostolatum* in quæstionem vocare. Quærebant enim δοκιμὴν, *probationem* in eo *loquentis Christi*. Ut ergo horum audatiæ obveniret, nec tamen cogeretur, quod nullo modo voluit, potestatem, quam dederat ei *Deus ad ædificationem, & non ad destructionem*, cum severitate exercere, placuit ei eos præmonere. Διὰ τοῦτο, *propter hoc*, ut est v. 10 *hæc absens scribo vobis, & tertiâ hac vice*, ut est in initio capitis, *ad vos venio*, nempe in hac Epistola, quoniam *ex ore duorum vel trium testium stabilietur omne verbum*, ut omnino absque dubio fiatis certiores me venturum, idque cum virga, sicut enim vobis antea dixerim cùm essem vobiscum præsens, & uti absens vobis annuntiaverim in priore Epistola, sic etiam denuo vobis scribo, *& iis qui peccaverunt, & reliquis omnibus fore ut si rursus venero non parcam.* At verò quod audio, vos non creditis hanc mihi a *Deo* concreditam esse potestatem, sed pro contemptibili habetis, ideóque quæritis δοκιμὴν, *probationem in me loquentis Christi*, *quem* vos *non* invenietis *infirmum* si venero, *sed potentem inter vos*; *nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate, vivit ta-*

men ex potentia Dei; & etiam nos, quamvis infirmi sumus cum ei, vivemus cum eo ex potentia Dei adversum vos. Quoniam verò *quæritis probationem in nobis, loquentis Christi*, horror & admoneo vos, ut priusquam quæratis eam in nobis, velitis *vosmet ipsos experi, num sitis in fide*, δοκιμάζετε ἑαυτοὺς εἰ μή τι ἀδόκιμοί ἐστε, *Probate vosmet ipsos, utrum non sitis sine probatione* in vobis loquentis *Christi*, si fortè possibile est, cùm toties vobis prædicaverim, & scripserim, *vos non scire vosmet ipsos, quòd Jesus Christus sit in vobis.* Spero autem vos olim cognituros, quòd nos non sumus ἀδόκιμοι, i. e. *sine probatione* quam in me quæritis, sed nollem ea uti, ideóque precor *Deum, nè quid mali vos faciatis*, οὐχ ἵνα ἡμεῖς δόκιμοι φανῶμεν, *Non* [precor] *ut nos appareamus δόκιμοι, cum probatione* in nobis loquentis *Christi*, cum potestate *Apostoli, sed ut vos quod bonum est faciatis*, & ut nos simus tanquam ἀδόκιμοι, non habentes opus ut utamur potestate nostrâ cum severitate, *quam dedit nobis Deus ad ædificationem, & non ad destructionem. Emendatio enim vestra est quam nos optamus, gaudentes cùm vos sitis validi, nos verò infirmi*, i. e. tanquam ἀδόκιμοι, non habentes occasionem potestatem vel authoritatem nostram demonstrandi. *Quia non possumus aliquid contra veritatem*, i. e. cum vos quod bonum est faciatis, *sed pro veritate*, quando vos contra ipsam non veremini peccare. Atque hic germanus mihi videtur sensus & scopus hujus loci, & vocis ἀδόκιμοι. Ludere videtur *Apostolus* in vocem δοκιμῶν, more scribendi apud ipsum familiari.

In

In Epiſtolam ad Galatas.

GAL. c. 2. v. 2, 3. &c. Ἀνέβλω δὲ κατ' ἀποκάλυψιν, καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι (μήπως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον. ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ Ἕλλην ὢν ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι) διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν ἣν ἔχομεν ἐν τῷ Χριστῷ Ἰησοῦ ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται. Οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς. Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι, ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει &c. *Aſcendi autem ſecundùm revelationem, & contuli cum eis Evangelium quod prædico in gentibus, ſeorſim verò eminentioribus, ſive iis qui videbantur eſſe aliquid, ne fortè in vanum currerem vel cucurriſſem, ſed neque Titus qui mecum erat, cùm eſſet Gentilis, coactus eſt circumcidi) propter verò irreptitios falſos fratres qui ſubintroibant,* (i. e. ſolebant ſubintroire, eſt enim παρεισῆλθον tempus indefinitum) *ut explorarent libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigant. Quibus* (i. e. eminentioribus, vel qui videbantur eſſe aliquid) *ne ad horam quidem ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii apud vos permaneat. Quales verò aliquando illi fuerint, qui videbantur eſſe aliquid, nihil meâ refert* vel *intereſt. Deus perſonam hominis non accipit*, &c. Quod præcipue hic animadverten-

dum, non fuit propter irreptitios fratres, ut plerumque intelligitur, quòd non coactus est *Titus* circumcidi, qui omnino non intererant, consultò enim proposuit *Paulus* Evangelium suum quod prædicaverat apud gentes *primariis Apostolis* κατ' ἰδίαν, *privatim* vel *seorsim à cæteris*, nè subreperent falsi illi fratres ad explorandam libertatem. At verò propter veritatem *Evangelii*, ut illud nempe permaneret, nec videretur ipse in vanum cucurrisse, non coactus est *Titus* circumcidi. Rectè *Estius* in persona *Pauli*, *Quod si Apostoli, cum quibus Evangelium contuli, quod prædico in gentibus, sensissent observationem legis, cujus præcipua pars est circumcisio, necessariam esse Christianis, utiq; Titum quem mecum assumperam, jussissent circumcidi, atqui id factum non est.* Neque τὸ ὅις, v. 5. ut vulgò existimatur, est relativum τῷ, ψευδαδέλφους, falsis fratribus qui omnino non intererant, v. 4. sed τοῖς δοκοῦσι, *eminentioribus Apostolis*, v. 1. quibus noluit pro momento cedere, ne vacillare videretur Evangelium quod prædicaverat apud gentes, *Mosaicam* nempe legem esse jam abolitam, ut postea se affirmat *Petro* ad faciem restitisse. Erant fortè illi *primarii Apostoli*, qui columnæ esse videbantur. v. 9. nimium καιρῷ δουλεύοντες & ad connivendum proni, nè fideles aliqui è *Judæis* (qui cùm essent ζηλωταὶ τοῦ νόμου, *Act.* 21. 20. legem *Mosis* sibi mordicus retinendam putârunt) offenderentur, & à *Christiana* fide resilirent. *Ob quam prudentiam non veritus est Paulus*, ut observat *Scholiastes Græcus*, *vocare illos* δοκοῦντας, καὶ κατεγνωσμένους, καὶ ὑποκρινομένους, μὴ ὀρθοποδοῦντας, *eminentiores, & reprehensibiles, & simulatores, non rectè ambulantes.* Κατ' ἀποκάλυψιν, *secundum revelationem*, nempe aliquam,

quæ

quæ ei facta fuerat sive famâ sive verbo sive Epistolâ, eum diversam à cæteris *Apostolis* doctrinam divulgare, de quo *Jacobus* eum diserte monet *Act.* 21. 21. κατηχήθησαν περὶ σοῦ, &c. *Audiverunt de te quod Apostasiam à Mose doceas omnes Judæos inter gentes, dicens eos non debere circumcidere filios suos, nec in patriis ritibus ambulare.* cujus manifestationis vel rumoris gratiâ fortè dicit. *Act.* 20, 22. *Ecce ego δεδεμένος τῷ πνεύματι*, &c. *obstrictus animo proficiscor Hierosolymam*, i. e. penitus statui quicquid de me fiat proficisci *Hierosolymam, ad testificandum*, ut sequitur, *Evangelium gratiæ Dei.* Utrum verò itinera fuerant σύσχεσις, nolo fidenter statuere; certum verò est hoc loco eum ascendisse, ut testificaretur, & vindicaret Evangelium suum quod prædicaverat apud gentes. Antè ἀπὸ τῶν δοκούντων, subaudiendum ὄι, quale est *Joh.* 16. 17. εἶπον ἓν ἐκ τῶν μαθητῶν, pro ὄι ἐκ τῶν μαθητῶν, *dixerunt discipuli*, ut *Vetus*: & *Luc.* 21. 16. θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν pro τὸς ἐξ ὑμῶν, *morte afficient vos.* Sic *Matth.* 27. 9. ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, pro ὄι ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, *filii Israel*, ut exponunt *Beza* & *Grotius.* Phrasis est vulgaris, ut ὄι ἀπὸ Πλάτωνος, *Platonici*; ὄι ἀπὸ τῆς πλήθους *Plebeii*; & ὄι ἐκ πίστεως, *fideles. Gal.* 3. 7. Δοκοῦσι, v. 2. rectè exponitur, *eminentioribus*; πυρροῦσ' ἀνω τὰ μηδὲν ὄντα, τὰ δ' ὄντ' ἀπώλεσαν. *Extollunt sursum humilia* vel *quæ nihil sunt, eminentiora verò subruunt. Euripides* de *Diis.* Δοκοῦντες, ἔνδοξοι. *Phæn.*

C. 3. v. 20. Ὁ δὲ Θεὸς εἷς ὄστιν. Optimus hujus loci Expositor est *Interpres Æthiopicus*; *Deus tamen unus est duorum. Mediator unius non est, Deus verò unus est*, i. e. duorum, necesse enim est ut sint personæ duæ inter quas sit mediator,

ut fuit *Moses* inter *Deum* & populum *Israeliticum*. Τάυτα ὁ νόμ☉ &c. *Hæc sunt lex quam dedit Dominus inter se & filios Israel in monte Sina, ἐν χειρὶ, per manum Mosis. Levit.* 26. 46. Atque hæc interpretatio unice quadrat cum scopo loci; quid verò ad rem ejus facit *Dei unitas* vel *simplicitas*?

C. 4. v. 9, 10. *Nunc autem cùm Deum cognoveritis, potiùs verò cogniti sitis à Deo.* πῶς ὀπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, *quomodo iterum revertimini ad impotentia & egena elementa,* οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε; i. e. per trajectionem valde familiarem, vocem, cui τὸ οἷς est relativum, repetendo, ut necessariò subauditur, οἷς ἄνωθεν στοιχείοις πάλιν δουλεύειν θέλετε; *quibus superius* vel *à retro* elementis *rursus servire vultis*? οἷς ἄνωθεν στοιχείοις, *quibus superius elementis,* ut οἱ ἄνωθεν, *majores, qui superioribus fuerunt temporibus*, & οἱ ἄνωθεν ἄρχοντες, *retrò principes. Steph.* Occurrit parallelum *Col.* 2. 20, 21, 22. *Si ergo mortui estis cum Christo,* ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, *ab elementis mundi,* τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε; *quid ut viventes in mundo dogmatizamini*? i.e. *traditionibus* vel *dogmatibus regimini*? qualia sunt, *Ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris.* Ἃ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει κατὰ τὰ ἐντάλματα τῶν διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων, i.e. per *Hyperbaton*, *Quæ omnia*, nempe elementa sive dogmata *sunt secundum præcepta & doctrinas hominum ut intercant usu*, vel *quoad usum expiratura.* Elementa verò ista sunt omnino eadem, ac τὰ ἄνωθεν στοιχεῖα, de quibus suprà, quæ erant tantùm μέχρι καιροῦ διορθώσεως ὀπικείμενα, *usque ad tempus correctionis imposita: Heb.* 9. 10. εἰς φθορὰν, vertitur aptissimè, *ut intereant,*

ant, pari modo quo vertimus εἰς πίστιν, *ut credatur*, Rom. 1. 17. in quæ verba videre est quæ superius animadvertimus.

C. 6. v. 10. Ὡς καιρὸν ἔχομεν, *dum habemus tempus*. Ita vulgò, quasi poneretur ὡς pro ἕως. Quidni verò potius? *Prout habemus opportunitatem, faciamus bonum omnibus*. Benefaciendi nulla prætermittenda opportunitas.

In Epistolam ad EPHESIOS.

EPH. c. 2. v. 1. Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς &c. In regimine vocis ὑμᾶς, ni fallor (si fas sit dicere) diu cæcutierunt Interpretes, propter importunam capitum divisionem. Pleriq; in versione post ὑμᾶς, *vos*, addunt verbum, *vivificavit*, in supplementum sensus. Affirmat unus *Accusativum istum* ὑμᾶς *regi à verbo* συνεζωποίησε, v. 5. *Est igitur*, ait, *hoc loco hyperbaton, & synchysis, & ἀποκοπὴ τοῦ περιόδου, quæ est species τοῦ ἀναντεποδότου, cujus quidem anomaliæ causa est* ἐπεμβολὴ, *interjectio sententiæ prolixioris*. Quorsum verò iste strepitus? Quid opus est tot figuris & ambagibus in re certe non ita obscura? Respice enim tantùm præcedentis capitis versum decimum nonum, & planissima fient omnia, & sensus

sensus cohærentia & syntaxis sine vi vel figura: κὴ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τ δυνάμεως αὐτ εἰς ἡμᾶς τὸς πιστεύοντας κὴ ὑμᾶς ὄντας νεκρὸς &c. *Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus, & vos qui eratis mortui in delictis & peccatis* &c. Verbis intermedis κατ' τλὴ ἐνέργειαν τς κράτους &c. *per operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus est per Christum*, & sic deinceps usque ad finem capitis primi parenthesi includendis. Objiciunt verò aliqui, prælonga est parenthesis, At verò obsecro, num parenthesis non erit æquè longa, si ὑμᾶς regatur à συνεζωοποίησε, v. 5. & constructio longè durior? Vide etiam *Rom.* 2. ubi v. 13, 14. &. 15. includuntur parenthesi non multò sanè hâc breviori. Imò respice *Rom.* 1. ubi est parenthesis omninò æquè longa; incipit enim à versu primo, & desinit in fine sexti, dum habeat interim duas alias in se inclusas. Præter loca etiam alia, in quibus occurrunt parentheses æquè ferè longæ, multò verò magis implicitæ. En autem interim quantas offuderit tenebras importuna capitum distinctio!

V. 15. Τλὴ ἔχθραν, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτ τὸν νόμον τ ἐντολῶν, ἐν δόγμασι καταργήσας. Vertendum per hyperbaton, quale jam suprà animadvertimus. *Act.* 13. 27. quasi legeretur. Τλὴ ἔχθραν ἐν δόγμασι τ νόμον τ ἐντολῶν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτ καταργήσας. *Inimicitiam illam in vitiis legem mandatorum per carnem suam abolendo.* Quale etiam est quod animadvertimus, *Col.* 2. 14. *Expungens quod contra nos erat chirographum, τῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, quod erat in vitiis nobis contrarium.* Fuisse contra nos jam priùs dixerat, posteriùs addit, in quo erat nobis contrarium, nempè in

cæremoniis

cæremoniis & ritibus. Idem enim sonant τῷ ἤχθεαν ἐν δόγμασι, & τὸ ὑπεναντίον ἡμῖν ἐν δόγμασι, τῷ dicitur pro πάντῃ sive κατ' ἐξοχήν.

C. 3. v. 10. Ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. *Ut nota nunc fiat principatibus & potestatibus multiformis sapientia Dei per Ecclesiam in cœlestibus.* Nempe, *rebus*, quæ ad æternam vitam in cœlis transigendam pertinent. Ut *Joh.* 3. 12. & *Eph.* 1. 3. Rectè *Chrysostomus*, ἐπουράνια cœlestia dicuntur, κἂν ἐν τῇ γῇ ὀπτιλῶνται, *etiamsi in terra peragantur.* Quod verò aliqui τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας interpretentur *Angelos*, videtur mihi ab instituto prorsus alienum. Quid enim refert, si multa fortè per prædicationem Evangelii innotuerint *Angelis* Christianorum mysteria, quæ priùs ignorabant? *Data est hæc gratia Paulo*, v. 8. hæc nota facere, at verò nemo opinor affirmaverit *Paulum* evangelizâsse *Angelis*, sed *principibus gentium*, quales erant *Herodes*, *Felix*, *Festus*, & *Agrippa*, & *magistratus* qui erant *Philippis*, *Thessalonicæ* & *Athenis*. Annon erant hi omnes ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι? De quibus loquitur *Lucas*, cùm ait, ὅταν δὲ προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγὰς καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας; 12. 11. De quibus *Paulus*, cùm jubet *Titum* admonere *ut subditi sint* ταῖς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, nisi de terrenis magistratibus? Aliis trajectio displicèt. At pari ratione dicant *Apostolum* debuisse dicere, ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ διὰ τῆς ἐκκλησίας, æquè enim sunt transposita, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, & διὰ τῆς ἐκκλησίας.

C. 4. v. 1. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἐγὼ ὁ δέσμιος ἐν Κυρίῳ ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως

ἧς

ἧς ἐκλήθητε· μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ πραΰτητος, μετὰ μακροθυμίας ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ &c. Locus iste non caret vitio ut plerumque exponitur, non enim rectè vertitur, *ut ambuletis tolerantes*, quia *Participium* ἀνεχόμενοι in *Nominativo* non potest convenire cum voce ὑμᾶς in *Accusativo*. Vertendum ergo in remedium cum puncto post ἐκλήθητε, ut suprà. *Obsecro itaque ego vos captivus in Domino ambulare dignè vocatione qua vocati estis. Cum omni humilitate & mansuetudine, cum longanimitate tolerantes estote* vel *tolerate*, *alii alios in charitate*. &c. ἀνεχόμενοι, ὀρθῶς vertitur, *tolerantes estote* vel *tolerate*, subaudiendo *verbum substantivum*, ἐστέ. Quale est, ἀρκέμενοι τοῖς παροῦσιν, *estote contenti præsentibus*. *Heb.* 13. 5. διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς &c. *docete & commonete vosmetipsos psalmis* &c. *Col.* 3. 16. Οἱ οἰκέται ὑποτασσόμενοι τοῖς δεσπόταις, *Servi subditi estote Domini*. 1 *Pet.* 2,18. Οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας &c. *qui devorant domos viduarum* &c. *Mar.* 22. 40. καὶ ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν &c. *Et elegit duodecim ex ipsis*. *Luc.* 6. 13. & εὑρόντες δὲ ἄνδρα τοῦτον, *invenimus enim hunc hominem* &c. *Act.* 24. 5. In quibus singulis locis subauditur verbum substantivum ἐστε, εἰσὶν, ἦν vel ἐζωσί. Cujusmodi occurrunt in *Homero*, *Sophocle*, & *Pindaro*, ut monet *Beza*. Phrasis enim est vulgaris: καὶ αὐτὸς ἦν διανένευκεν αὐτοῖς, *Et ipse innuebat illis*. *Luc.* 1. 22. τοῦτο γάρ ἐστε γενόμενοι, *Hoc enim nostis*. *Eph.* 5. 5. Exhortatur primò *ambulare dignè vocatione qua vocati sunt*. Deinde docet, quomodo id rectè faciant, nempè si *toleraverint* se *invicem in charitate, cum humilitate, mansuetudine, & longanimitate, studentes servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*. Ideoq; dicit,

dicit, *tolerate*, &c. Quid opus ergò est *incogitantiam* vel *solœcismum* impingere *Apostolo*, ut faciunt aliqui, constructionem tacitè perstringendo, quasi dixisset insolenter, παροξύνεσθαι pro παροξύνεσθε.

V. 26. Ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, *Irascimini & nolite peccare.* Non dubito quin mutuatus sit *Apostolus* hæc verba à *Psalmista*, ex *psalmo* 4. ex LXX. Licet *Beza*, & *Interpres Anglicus* id in margine pro more suo non agnoscant. Ratio est, aliter interpretati sunt *Hebræum*, ut & alii, legentes in *Psalmo*, *contremiscite, & nolite peccare.* Verùm ego potiùs *Musculo* adstipulor, qui vulgarem lectionem retinuit, authoritate ductus *Pauli*, *Irascimini & nolite peccare. Hebræum* enim רגז, significat non solùm *contremuit*, sed & *iratus est*, *commotus est animo* vel *præ metu* vel *præ irâ*; facit enim & ira tremere. Nec verò habemus solùm authoritatem *Pauli* pro hac lectione, sed & expositionem etiam. Verba enim sequentia *Pauli* sunt mera expositio verborum sequentium in *Psalmista*; sensu enim sunt eadem. Ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω, ait *Apostolus*, ὅτι τῷ παροξυνομένῳ ὑμῶν, μήτε δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ, *Ne occidat Sol super iracundiam vestram, neque date locum diabolo. Psalmista* verò λέγετε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ὅτι ταῖς κλίναις ὑμῶν κατανύγητε, *dicite in cordibus vestris, super cubilia vestra quieto sive sedato estote animo.* Quasi dicerent, *Irascimini, & nolite peccare*, quod si forte accidat ut iracamini, neque ulla passio promptior, cavete ne peccetis iracendo ultrà quàm par est, ne maneat iracundia vestra ad occasum Solis ut indormiatis ei, nec faciatis Diabolum istum iracundiæ nocturnum etiam hospitem; sinendo apud vos diutiùs commorari, sed

omnino

omnino abigatur, priusquam eatis cubitum, ut super cubilia sedato sitis animo, ut possitis vosmet vobiscum colloqui, *dicere orationem vestram in corde vestro*, ut *Chaldaus*; planè innuentes quàm jucundum & necessarium sit meditationi piæ vacare, cùm primùm lecto decumbimus, cui nil magis inimicum quàm si exacerbatio aliqua iracundiæ maneat adhuc in animo: καταύγητε, ἡσυχάσατε, κατάνυξις ἡσυχία. *Hesych.* Et sic in *Psalmo*, pro καταύγετε, *Aquila* habet ἡσυχάσατε, *quieti estote.*

C. 5. v. 8. Ἦτε γὰρ ποτε σκότος, νῦν δὲ φῶς ἐν Κυρίῳ, ὡς τέκνα φωτὸς περιπατεῖτε. *Eratis enim olim tenebræ, nunc verò cum sitis lux in Domino, ut filii lucis ambulate* subaudiendo, ὄντες, νῦν δὲ φῶς ὄντες ἐν Κυρίῳ. Appositivè dicitur.

V. 13. Τὰ δὲ πάντα, ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς, φανερεῖται. i. e. per hyperbaton, Τὰ δὲ πάντα φανερούμενα &c. *Hæc verò omnia manifestantur cum a luce arguuntur.* Quasi diceret, Hæc verò omnia τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης ut vocantur. 2 *Cor.* 4. 2. de quibus hic modo dictum est, & si ab illis quàm occultissimè perpetrentur, manifesta tamen sient cum ad lucem examinentur: *Omnis enim lux manifesta facit*, ut licitè etiam exponitur, per hyperbaton πᾶν γὰρ τὸ φῶς ὅτι φανερούμενον. Transponitur enim suo loco tantùm vox unica φανερούμενον, quod etiam activè accipitur, quo nil vulgarius. Τὰ dicitur pro ταῦτα, ut sensus & ordo verborum postulat. ἔλεγξις, φανέρωσις τῶν κεκρυμμένων. *Phav.*

V. 14. Διὸ λέγει, Ἔγειραι &c. Quæritur verò, quis dicit, *expergiscere* &c? Ego nullus dubito, quin respexit *Paulus* vocem Πνεύμα-

τος,

τος. v. 9. *Quapropter dicit spiritus. Expergiscere* &c. Nec sunt ejusmodi transitiones apud *Apostolum* infrequentes. præterquam etiam quod fortè proximè respondeat; Non enim versus iste suo loco apponitur, sed à textu reliquo parenthesi distinguitur eò quòd interrumpat sensum & syntaxim. Utitur etiam eâdem dicendi formula. 1. *Tim* 1. Τὸ δὲ Πνεῦμα ῥητῶς λέγει. *Spiritus autem expressè dicit.* Et quid ni per *Paulum* utrumque dicat spiritus. Nusquam verò legas, *dicit lux*, nec vox *scriptura* usquam intelligitur, nisi ubi præcessit in terminis, ut *Jac.* 4 5. & 6.

C. 6. v. 20. Ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει, *pro quo legatione fungor in vinculis.* Quid ni potius? *Pro quo senesco in vinculis.* Sic *Paulus* seipsum nominat, *Philem.* 9. Παῦλος πρεσβύτης καὶ δέσμιος, *Paulus senex & vinctus.* Epistola utraque scripta fuit à *Roma* cùm ibi vinctus erat *Paulus*, ubi non parvo qnidem tempore, scilicet biennio etsi in libera custodia, detentus erat, ut non sit mirum dicere, *senesco in vinculis*, cùm in iis tam diu foret.

In Epistolam ad Philippenses.

PHILIP. c. 2. v. 16. Λόγον ζωῆς ἐπέχοντες, *Verbum vitæ firmiter tenentes, ut gloriari possim in die Christi.* En mercedem *Pauli*, eorum nempe perseverantiam. Vide

Vide 1 *Cor.* 3. 14, 15. & 2 *Joh.* 8. ἐπέχοντες; κρατοῦντες. *Hesych.*

C. 3. v. 5. Περιτομὴ ὀκταήμερος &c. Frustrà est repetere varias de horum verborum lectione & syntaxi opiniones, quæ non mediocriter vexârunt ingenia Interpretum, ut nodum tandem in scirpo reperirent, cùm sine ullâ variatione lectionis vel figurâ syntaxis sit planissimè obvia, subaudiendo tantum ἦν vel ἦν, quod toties occurrit unaquâque ferè paginâ. Περιτμὴ ὢν ὀκταήμερος, ἐκ γένους τοῦ Ἰσραὴλ &c. *Si quis alius videtur habere fiduciam in carne, ego magis. Circumcisio erat octiduana*, i. e. ὀκταῖο die, *ut patet*, ut ait *Chrysostomus*, *non fuisse proselytum, Ex gente fui Israelis, ut patet neque a parentibus quidem natum proselytis* &c.

V. 15. 16. Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν, καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει (πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν) τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sentitis, & hoc quoque revelet vobis Deus (præter ad quod pervasimus) eadem incedere regula, idem sentire.* Futurum frequenter usurpatur pro Imperativo. Quod verò adeò multi vertunt, *Eâdem incedamus regulâ, idem sentiamus*, est neque sensui nec syntaxi consonum, sed ab omni more loquendi alienum.

In

In Epistolam ad Colossenses.

COLOSS. c. 1. v. 2. Τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις καὶ πιστοῖς &c. ἅγιοι & πιστοὶ sunt visibilis Ecclesia in *Colossis*.

V. 27. Οἷς ἠθέλησεν ὁ Θεὸς γνωρίσαι τις ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστι Χριστὸς ἐν ὑμῖν ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης &c. Ut constructio fiat, ὃς absque dubio est relativum voci πλοῦτος. *Quibus voluit Deus notum facere quæ sit opulentia gloriæ hujus mysterii inter gentes, quæ est Christus inter vos, spes gloriæ.*

C. 2. v. 14. Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, τοῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν. *Expungens quod adversum nos erat Chirographum, quod erat in traditionibus nobis contrarium.*

V. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. *Nemo vos subdolâ argumentatione fallat, qui delectatur in humilitate & cultu Angelorum, ingrediens in ea quæ non vidit, temere inflatus à sensu carnis suæ.* κατὰ βραβευέτω, παραλογιζέσθω. *Phavor.* θέλω, εὐδοκῶ. *ibidem.* ut *Mar.* 12. 38. & *Psal.* 147. 10. ἐμβατεύων *Hieronymus* & *Erasmus* vertunt *fastuose incedens in ea quæ non vidit*, i. e. audens disserere vel affirmare de iis quæ non vidit, vel intelligit, temerè inflatus à suâ ipsius carnali phantasiâ.

V. 22. Ἅπινά ὅτι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. Post οὐκ vel τινι, subaudi ὄντος. *Quæ rationem quidem habent sapientiæ in voluntario cultu & humilitate, & neglectu corporis, quod non est in pretio aliquo ut saturetur caro*, i. e. *ad saturitatem carnis.*

C. 3. v. 7. Ὅτε ἐζῆτε ἐν αὐτοῖς. *cùm viveretis inter illos*, i. e. ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *inter filios inobedientiæ.* v. 6.

C. 4. v. 16. Καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας. Nil opus est cum *Grotio* variare lectionem, expungendo ἐκ, contra omnium codicum fidem, cùm sit ὀρθῶς dictum cum *Vetere. Et eam quæ est Laodicensium vos legatis.* Non quæ à *Laodicensibus* ad illos missa fuerat, sed quæ ab *Apostolo* ad *Laodicenses* scripta. Quæ cur vel quomodo perierit, ut & altera ad *Corinthios*, & altera ad *Ephesios*, soli notum est *Deo*. Vulgò usurpatur in hoc sensu τὸ ἐκ; ut τινες τῆ ἐκ τῆ συναγωγῆς, *Quidam Synagogæ*, οἱ ἐκ πίστεως, *fideles*, οἱ ἐκ Στοᾶς, *Stoici*, ἄνεμοι ἐκ νυκτὸς χαλεποί, *Venti nocturni graves.*

In

In Epiſtolam primam ad THESSALONICENSES.

1 THES. c. 2. v. 16. Ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. *Pervenit verò in eos vindicta in fine.* De *Judæis* loquitur. *Occiderunt Jeſum & ſuos Prophetas, & vos perſecuti ſunt, nec Deum curant, & contrarii ſunt omnibus, prohibentes nos etiam prædicare vobis ut ſalvemini, ſed pervenit in eos vindicta in fine*, ſive *Ira Dei.* ut *Vetus.* Adfuit tempus excidii *Hieroſolymæ*, & recens in eos ſupervenerat διαβροχή.

In ſecundam Epiſtolam ad THESSALONICENSES.

2 THES. c. 2. v. 1. ὑπὲρ τῆ παρουσίας &c. *Rogamus verò vos fratres de adventu Domini* &c. i. e. ut rectiſſimè *Zegerus, quoad adventum Domini, ne moveamini* &c. ὑπὲρ *ſuper*, de, apud *Grammaticos.* ut ὑπὲρ ἧς ἐν οἰκίᾳ τύπῳ διαλέξομαι. *de* vel *ſu-*

per quâ suo loco dicam Dion. Halic, & Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Virg. Atque hic sensus unicè quadrat cum scopo Loci. ὑπὲρ, ὁμοίως τοῦ περί. *Phav.*

V. 3. Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον ὅτι, ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον. Post ὅτι, subaudi ἐνέστηκεν, quæ vox ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda. *Ne citò mente commoveamini, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ, tanquàm quod instet dies Christi; μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον, ὅτι. Ne quis seducat vos ullo modo quod* instet, *si non venerit prius apostasia* &c. Interpretes excudunt sensum, non sunt verò de Syntaxi soliciti. Quid enim velit, ὅτι ἐὰν μὴ, ut universim distinguitur, fateor equidem me non intelligere.

V. 6, 7. Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε. εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν ἑαυτοῦ καιρῷ. Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται. Verbum substantivum in utroque loco subaudiendum, nempe post τὸ κατέχον, εἶναι, & post ὁ κατέχων, ἔστι, *Hebræorum* more, cujus exempla reperire licet & in novo & in vetere unaquaque ferè pagina, nè dicam linea. *Ec nunc* esse *quod obstat scitis, ut reveletur ille in suo tempore. Mysterium enim iniquitatis jam jam operatur, tantùm* est *qui ad præsens obstat, usque dum è medio fiat.* Non sciverunt quid vel quis obstaret, ignotum enim erat, neque certum est in hunc usque diem, sed à *Paulo*, ut videtur, edocti fuerant, aliquid esse quod obstaret, usque dum è medio tolleretur. Dixerunt è *Veteribus Romanum fuisse statum*, *quod*

quod obstabat, usque dum è medio tolleretur, sed scienter nemo Vide 1 *Joh.* 2. 18. 4. 3.

In Epistolam primam ad TIMOTHEUM.

1 TIM. c. 1. v. 3. Καθὼς παρεκάλεσά σε, προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ, πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, ἵνα παραγγείλῃς &c. Quod si circumflectitur vox προσμεῖναι, subauditur *Imperativus*, θέλε vel μέμνησο. De quo vide *Animad. Act.* 1. 4. Si verò acuitur tertiâ à fine, προσμεῖναι, ut fortè debuit, non sunt enim accentus ex *Authore*, tum demùm est *Imperativus Aoristus vocis mediæ*, qui frequenter usurpatur *in Veteri*, adeò ut nihil opus sit supplemento, *Grammaticè* enim & rectè dicitur utrovis modo, *Quemadmodum admonui te, mane*, vel *mancre memento in Epheso proficiscens in Macedoniam, ut denunties*, &c.

C. 2. v. 6, 7. Ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ Ἀπόστολος &c. Ut sensus fiat manifestior & constructio, quam vulgò solet, repetenda sunt verba proximè præcedentia, Εἷς γὰρ Θεὸς &c. *Unus enim est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, ὁ δοὺς *qui dedit se redemptionis pretium pro omnibus*,

τὸ μαρτύριον, *ipsum Evangelium, cujus ego proprio tempore constitutus sum prædicator, & Apostolus* &c. Τὸ sumitur appositivè, sive ut aiunt τεχνικῶς. Quasi diceret, summam Evangelii, cujus ipse constitutus est prædicator & *Apostolus* proprio tempore, esse in notione vel scientiâ unius *Dei*, & *unius Mediatoris Christi Jesu*, *qui se dedit redemptionis pretium pro omnibus*, μαρτύριον, usurpatur pro *Evangelio*. 1 *Cor.* 1. 6. 2. 1. 2 *Tim.* 1. 8. & 10. Quoad trajectionem nil vulgarius. Applicatur eodem modo, καιροῖς ἰδίοις, *Tit.* 1. 3.

V. 10. Ἀλλ' ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν διὰ ἔργων ἀγαθῶν. Melius cum *Stephano* omittitur parenthesis. Ante ὃ, subaudi χρή. *Sed quemadmodum decet mulieres quæ pietatem spondent per bona opera.* Est enim inconcinnum etiam & insolens dicere, κοσμεῖν ἑαυτὰς διὰ ἔργων ἀγαθῶν, quod potius debuit exprimi cum præpositione, ἐν, ut in præcedentibus, μὴ ἐν πολέγμασιν &c. ἀλλ' ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς, Sic, vidua eligatur ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη, *quæ testimonium habuit in bonis operibus.* 1 *Tim.* 5. 10.

V. 15. Σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, *Salvabitur verò per generationem filii*, i. e. *per semen mulieris*, quod *conteret caput serpentis*, per quod & *Adam* & *Eva*, & eorum posteri salvabuntur, *si manserint in fide.* Atque ita sensisse aliquos ante ipsius tempora refert *Theophylactus*. Τεκνογονίαν, ἐνόησαν, τὴν τοῦ Θεοτόκου. *De generatione intellexerunt Deiparæ.*

V. 15 & 16. & C. 4. v. 11. Ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, &c. *Quæ est ecclesia viventis Dei, columna & firmamentum veritatis*, &c. Quid opus est confugere ad interpretationes violentas? Qualis est

eorum

eorum qui hæc verba, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, laborant adeò connectere cum sequentibus, quasi scribendum foret vel eo ordine saltem intelligendum, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριόν ἐστι, ὃς Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ &c. *Columna & firmamentum veritatis & citrà controversiam magnum pietatis est mysterium*, nempè *Deus manifestatus est in carne.* Quæ metathesis est adeo meis auribus dura, ut nullo modo possim eam cum silentio præterire, præsertim cum nec omninò sit necessaria. Verè enim & οὕτως *Ecclesia Dei* est *columna & firmamentum veritatis*, In Ecclesia enim Dei recta fides in Deum colitur, quæ, certè est *columna & firmamentum veritatis.* Quod si quæ dicitur ecclesia non recta fide Deum amplectitur manifestatum in carne, non est amplius ecclesia Dei *Domus* enim *sumus Dei, si fiduciam & gloriam spei* [nempè in Christo] *teneamus firmam usque ad finem Heb.* 3. 6. Si verò non teneant *confessionem spei sine declinatione*, sed *prolapsi fuerint* ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν, *deserentes congregationem*, 10. 25. non sunt amplius ecclesia vel domus Dei, sed apostatæ. *Ecclesia* enim & *veritas* sunt ita inter se relatæ & mutuò complicatæ, ut altera sine alterâ esse nequeat, ut posita alterâ, altera necessariò supponatur. Ubi enim *veritas* ibi est *ecclesia*, & ubi est *ecclesia* ibi *veritas.* Adeò ut rectè cum *Chrysostomo* dicatur etiam *veritas columna & firmamentum ecclesiæ.* vel *ecclesia* potest dici *columna & firmamentum veritatis* μετωνυμικῶς idque variis modis. Vel *possessore* posito pro re *possessa*, quale est illud apud *Virgilium Jam proximus ardet Ucalegon*, cum non ille sed domus ejus flagraret. Est e-

nim *ecclesia* possessor & custos rectæ in Deum fidei, quæ est *columna veritatis*. Vel *continente* posito pro *re contenta*, quale est apud *Lucam*. 22. 20. *Hoc poculum est Novum Testamentum*, cum non poculum, sed vinum in poculo esset Testamentum. In *ecclesia* enim conservatur recta in Deum fides, quæ est veritas. Vel *adjuncto* posito pro *subjecto*, *Ecclesia* ponitur pro *petra* super quam ædificata est *ecclesia*, quæ *petra* certe fuit *columna & firmamentum veritatis*, & *mysterium illud magnum quod nec caro nec sanguis revelavit*, scilicet, Σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. *Tu es ipse Christus filius viventis Dei Matth.* 16. 16. Adeo ut sensu diviso sequatur opportunè Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν Πνεύματι, &c. *Et citra controversiam magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, justificatus est per Spiritum*, &c. Non enim oratio est *hiulca* vel *suspensa*, ut interpretes illi volunt, sed per se perfecta admodum & emphatica, his verbis non solum fidem sed & admirationem postulantibus, est enim τὸ, ϰ, hoc loco admirationis nota. Ineffabile enim & mirandum est mysterium, *Deus manifestatus est in carne*. Quod *verbum Caro factum sit*, quòd *homo Christus sit filius viventis Dei*, est citra controversiam religionis nostræ mysterium ingens, *quod nec caro nec sanguis unquam revelavit*. Quæ sequuntur, ἐδικαιώθη ἐν Πνεύματι, &c. non sunt mysteria, sed testimonia rem verè prout dicitur ita se habere, nempè, *Deum manifestatum esse in carne*, ideoque τοῦ, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, refertur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ad ea singula. *Justificatus est per Spiritum Deus manifestatus* esse *in carne*, cum *sedit super*

cum

cum Spiritus in specie columbæ & audita est vox è cælo, Hic est filius meus &c. *Matth.* 3. 16. & 17. ut etiam alibi per miracula quæ edidit per virtutem *spiritus*. Sic etiam *visus est ab Angelis Deus in carne*, *Matth.* 4. 11 *Luc.* 2. 13, 14. & *Act.* 1. 9, 10, & 11. Atque ita *prædicatus est in gentibus, creditus in mundo, & assumptus est in gloria*. Mirum verò, stupendum sanè, contra tot & tantos testes futuros fuisse aliquos, qui oculos occluderent vel averterent; Licet enim *Deum manifestatum* esse *in carne*, testetur *Spiritus*, testentur *Angeli*, testetur prædicatio *Evangelii* cui fides est exhibita per totum mundum, & conspicua ejus in cœlum assumptio, immediatè sequitur. c. 4. v. 1. connexione admodum apposita etsi dividantur capita. Τὸ δὲ Πνεῦμα &c. *Spiritus tamen expressè dicit quod in posteris temporibus, ἀποστήσονταί τινες ἀπὸ τῆς πίστεως, desciscent aliqui ab hâc* [ipsa] *fide attendentes spiritibus erroris* &c. τῆς positio pro πάντης. ut vult etiam *Medus* noster. Quod ipsum prædixit *Petrus*, 2. ep. 2. 1. *& inter vos erunt falsi doctores qui introducent hæreses perditionis & qui emit eos Dominum negabunt* i. e. *Deum* qui *manifestatus est in carne*. ἐδικαιώθη, *justificatus est*, sensu quo vulgò loquimur *Anglicè*, **I will justify such a thing to be so or so**, vel ut explanatur apud legis peritos nostros. **Justification is an upholding, or shewing a good reason in court, why he did such a thing he was called to answer.** *Brooke*, *titulo Replevin.* Quale est illud *Matth.* 11. 19 καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία &c. *& justificata est hæc sapientia à filiis ejus*, i.e. ab iis declarata fuisse ipsorum sensu ipsa vera, à quo sensu nec omnino differt τὸ ἀποδεδειγμένον, *Act.* 2. 22. ut ibidem suprà animadvertimus,

madvertimus. In summa, τὸ δικαῖον, est *justis argumentis & testimoniis comprobare.* Τὸ ἐν cum *Dativo* passim ponitur pro διὰ cum *Genitivo*, ut, εἰ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, &c. *Et si ego per Spiritum Dei ejicio dæmonia*, &c. *Matth.* 12. 28 & ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, *per hominem quem statuit. Act.* 17. 31. & centies alibi in *N. T.*

V. 1. Προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων &c *Attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, per hypocrisin hominum falsiloquorum*, ut animadvertit *Castalio*, addens ultrà, *hominum addidi, nè falsiloquorum*, & sequentia referrentur ad Dæmonia. Quod certè, ut observavit *Medus* noster, foret prodigiosum dicere, Dæmonia nempe *loqui mendacia in hypocrisi, & habere conscientias cauteriatas*, &c. qui etiam διδασκαλίαις δαιμονίων, vult intelligi, *doctrinis de Dæmoniis*, i. e. *de Canonizatis sanctis, & imaginibus* vel *Idolis. Dæmonia* enim legitimè exponi *Idola*, authoritatem habemus, *Psal.* 96. 5. כִּי כָל אֱלֹהֵי הָעַמִּים אֱלִילִים. ὅτι οἱ Θεοὶ πάντες τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, *Quoniam omnes Dii gentium idola sunt*, ut *Paraphr. Chal.* Ver. *Lat*, & Interpres *Anglicus*; ut etiam vertunt ipsissima verba LXX, 1 *Paral.* 16. 26. ὅτι πάντες οἱ Θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. Sic *Clemens Alexandrinus*, in *admonitione ad gentes*, εἴδωλα γὰρ εἰκότως, αὐτὰς καὶ δαίμονας ὑμεῖς αὐτοὶ κεκλήκατε, *Similiter eos vos ipsi idola & dæmones vocatis.* Et sic etiam 1 *Cor.* 10 20. quæ gentes dicuntur *immolare dæmoniis*, 8 4. & 7. vocantur εἰδωλόθυτα, *quæ idolis immolantur.*

V. 3. Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμά-

τῶν

των &c. Miror interpretes plerumque animum non advertere ad ea quæ *Scholiastes Græcus* in hæc verba observaverit. *Nempe in iis esse nullum* Σφάλμα καλλιγραφικόν, ut quidam volunt, *nec ullum* παρόραμα Ἀποστολικόν, ut alii, *sed propriè et* ὀρθῶς *esse dictum secundum genuinum Atticismum*, ut ἐκώλυε μὴ κλήπτειν, *prohibuit furari*, ἐκώλυεν ἀπέχεσθαι ἀῤῥητοποιΐας, *vetuit actum nefandorum*. Quomodo etiam hoc loco repetendo vocem κωλυόντων, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, rectè dicitur, κωλυόντων γαμεῖν, κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *prohibentium conjugium, prohibentium cibos*, &c *Verbis enim, quæ sunt per se negantia, Attici negationem addunt*. Vide simile 1 *Job*. 2. 22.

V. 14. Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὁ ἐδόθη σοὶ διὰ προφητείας, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν, τοῦ πρεσβυτερίου. i. e. trajectione frequentissima, & τῶν posito pro ταύτων, & vertendo διὰ προφητείας in plurali, *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi propter prophetias presbyterii, per impositionem harum manuum*. Atque ita locus iste congruit cum 2 *Tim*. 1. 6, ubi dicitur, τῶν χειρῶν μου *manuum mearum*. *Propter Prophetias*, i.e propter προαγούσας *præcedentes de te prophetias presbyterii*, quales jam antea memoravit. 1. 18. Proprer hanc enim causam, eò quòd prophetæ & doctores ecclesiæ [qui collective fecerunt *presbyterium*] constanter de *Timothei fide* & *bona conscientia* prædixerunt sive prophetârunt, quas eum ibi *retinere* jubet *Paulus*, videtur fortè solus ei imposuisse manus & ordinasse episcopum, ut etiam solus in *Creta* reliquit *Titum*, ἐπίσκοπον πρότερον] ποιήσας *cum prius fecisset episcopum* ut *Schol. Græc.* Vel τοῦ πρεσβυτερίου potest convenire

convenire cum χαρίσματος & denotare *officium*, ut *Calvinus* & *alii*. *Noli negligere gratiam presbyterii*, *quæ in te est*, *quæ data est tibi propter prophetias* [nempè de te præcedentes ut suprà] *cum impositione harum manuum*. Διὰ cum *Accusativo* propriè *propter*. Ideo dicit *prophetias*, quia jussu & instinctu prædixerunt *Spiritus*. Nec est vulgarius aliquid quàm τῶν pro τάυτων. Sciat verò *Lector* me non hæc apponere eò quòd aliorum interpretationes improbem, sed quia nostra non videtur omninò contemnenda.

C. 5. v. 4. Εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. *Quod siqua vidua liberos habet vel nepotes*, *discant in primis propriam domum officiose colere*, *et vicem rependere parentibus*. Τὸ εὐσεβεῖν quandoque significat *pietatis officio fungi erga parentes*; est enim & in parentes pietas, hinc apud *Virgilium*,-- *Sum pius Ænæas*, propter pietatem erga parentem *Anchisem*, eò quòd portârit eum humeris jam valdè senem in cumbustione *Trojæ*. Sic *Cic*. 3. *Offic*. *Ipsi patriæ conducit pios habere cives in parentes*, Et *Quintilianus*, *Præstanda pietas parentibus*. Et *Solinus*, *Ciconiis etiam pietas eximia inest*, *etenim quantum temporis suis fœtibus educandis elargiuntur*, *tantum et ipsæ à pullis suis invicem aluntur*. Hinc ἀντιπελαργεῖν, apud *Suidam*, est *Ciconiarum more vicem rependere* vel *gratiam referre*; οἱ γὰρ πελαργοὶ ἐπὶ τῶν πτερύγων βαστάζουσι τοὺς γεγηρακότας, *Ciconiæ enim parentes senio confectos in alis gestant*. Scopus loci est, quod si aliquando sit vidua senex, quæ præ senio non possit seipsam alere, liberos ejus vel nepotes debere ejus in primis curam gerere.

C. 6.

C. 6. v. 5. Νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν, *Existimantium pietatem esse quæstum* sive *mercaturam*: ut *Interpres Arabicus*. De iis loquitur qui religionem profitentur ut ditescant: πορισμὸς, *modus victum quærendi*, vel *quæstum faciendi*. *Ipsa actio comparandi & acquirendi*. *Steph.* φησὶ γὰρ δυσὶ μόνοις κεκτῆσθαι πορισμοῖς γεωργίᾳ καὶ φειδοῖ: *Dicunt enim duobus tantùm uti modis faciendi quæstum, agricultura & parcimonia*. *Plut.*

In Epistolam Secundam ad TIMOTHEUM.

2 TIM. c 1. v. 3. Χάριν ἔχω τῷ Θεῷ &c. ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν; *Gratias ago Deo* &c. *ita eo quam continuam de te memoriam in precibus meis nocte & die.*

C. 2. v. 2. Καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ, διὰ πολλῶν μαρτύρων ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις &c. *Et quæ audivisti à me, tu ea multis testans commenda fidelibus hominibus*, &c. Vel Καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν, μαρτύρων ταῦτα παράθου &c. *Et quæ audivisti à me multis, tu ea testans commenda*, vel *testare & commenda fidelibus hominibus*, &c. Διὰ πολλῶν, ut διὰ ὀλίγων, 1 Pet. 5. 12. & διὰ βραχέων, *Heb.* 13. 22. Neque vero sunt commata aut accentus ab *Authore*, adeò

adeò ut veniam mihi fore sperem, si præter sententiam veterum distinctionem mutem & accentum, præsertim si eo facto faciliorem & gratiorem reddam sensum. Ægre enim διὰ πολλῶν μαρτύρων cum *Grammatica*, & recto exponuntur sensu. Quid enim tibi velit, *quæ audivisti à me per multos testes*, non bene convenit inter Interpretes.

C. 2. v. 25. Μήποτε δῴη αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν &c. *Cum lenitate eos corripientem qui resistunt, forte dabit eis Deus pœnitentiam* &c. ἴσως, φησίν, ἔσται τις διόρθωσις. *Fortè, inquit, erit aliqua emendatio, fortasse dederit Dominus pœnitentiam. Theophylact.* LXX vocem אולי, fortè, sæpiùs vertunt μήποτε, ut *Gen.* 24. 5. & 39. 43. 12. 50. 15. & alibi.

In Epistolam ad Titum.

TIT. 1. 1. Παῦλος δοῦλος Θεοῦ, ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ, καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, 2. (Ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεὸς πρὸ χρόνων αἰωνίων, ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις) 3. τὸν λόγον αὐτοῦ ἐν κηρύγματι ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ, &c. *Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, & scientiam veritatis quæ est secundum pietatem in spe vitæ æternæ, 2. (Quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia, manifestavit autem in temporibus suis.) 3. Ipsum verbum ejus in prædicatione quæ mihi concredita est per præceptum Dei salvatoris nostri.*

Τὸν

Τὸν λόγον αὐτοῦ, *ipſum verbum ejus*, videtur appoſitivum τῷ, κατ' πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ, &c. *ſecundum fidem electorum Dei*, &c. v. 1 Quaſi innueret ſummam *verbi Dei*, i. e. *Evangelii*, ut vocatur *Col.* 1. 25. eſſe vel comprehendi *in fide electorum dei, & ſcientia veritatis quæ eſt ſecundum pietatem in ſpe vitæ æternæ.* Cujus non omnino abſimi is eſt ienſus & conſtructio, ut ſuprà animadvertimus, 1. *Tim.* 2. 6. 7. Εἷς γὰρ ὁ Θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον, &c. ubi τὸ μαρτύριον eſt certè appoſitivum. *Unus enim eſt Deus, unus etiam mediator Dei et hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſe redemptionis pretium pro omnibus, ipſum Evangelium*, vel *teſtimonium, cujus ego proprio tempore conſtitutus ſum prædicator et Apoſtolus.* Quid enim eſt fides electorum *Dei*, &c. niſi fides & ſcientia *unum eſſe Deum, et unum Mediatorem Jeſum Chriſtum, qui dedit ſe redemptionis pretium pro omnibus?* An non hoc eſt *verbum Dei per prædicationem quæ concredita eſt Paulo per præceptum Dei Salvatoris noſtri? Act.* 20. 24. *Gal.* 1. 1.

C. 3. v. 7. Κληρονόμοι γενώμεθα (κατ' ἐλπίδα) ζωῆς αἰωνίου, *Hæredes ſimus (ſecundum ſpem) æternæ vitæ.*

In

In Epistolam ad Hebræos.

HEB. c. 1. v. 3 Ὃς ὢν ἀπαύγασμα, *Qui cùm sit radius gloriæ* [ejus] ut interpres *Syrus*. Est enim certè ἀπαύγασμα aliquid amplius hoc loco quàm simplex ἄυγασμα, ἀπάυγασμα, ἄυγασμα ἀπὸ τῆ δόξης. *Splendor emicans è gloria Dei*, ἔκλαμψις, ut *Phavor. relucentia*, seu *refulgentia*, *aliquid quod ex alio resplendet*, ut *Erasm.* & *Vatab.* φῶς ἐκ φωτὸς, ut *Schol Græc.* ἀπόρροια τῆ παντοκράτορος δόξης. *Emanatio gloriæ omnipotentis. Sap. Solom.* 7. 25.

V. 4. Τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, *Tanto superior factus Angelis.* Τὸ ἔλαττον ὑπὸ τῆ κρείττονος εὐλογεῖται, *Minus* seu *inferius* à *superiore benedicitur.* 7. 7. & apud *Philemonem*

Ἀγαθὴς γυναικὸς ὄζει ὦ Νικοστράτη
Μὴ κρεῖττον εἶναι τ' ἀνδρὸς ἀλλ' ὑπήκοον.

Bonam uxorem decet, Nicostrate, non esse superiorem viro sed obedientem.

V. 7. Ὁ ποιῶν τὺς Ἀγγέλους αὐτῆ, πνεύματα καὶ τὺς λειτουργὺς αὐτῆ, πυρὸς φλόγα, *Qui facit Angelos suos, spiritus, & ministros suos, flammam ignis.* v. 14. vocat *conjunctim* λειτουργικὰ πνεύματα, quos hic *divisim* nominat πνεύματα καὶ τὺς λειτουργὺς αὐτῆ. Πυρὸς φλόγα, *flammam ignis* recte appositivè dici. Omnino ac si diceret, Ὁ ποιῶν τὺς Ἀγγέλους αὐτῆ, πυρὸς φλόγα, *Qui facit Angelos suos flammam ignis.* Sic ferè dicitur *Exod.* 3. 2. ὤφθη ὃ ἄγγελος Κυρίε ἐν φλογὶ πυρὸς, *Et apparuit ei Angelus Domini*

mini in flamma ignis, i. e. in specie flammæ ignis. Varias enim frequens est *Angelos Dei* induere formas, dum funguntur ejus ministerio.

C. 2. v. 5. Οὐ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν περὶ ἧς λαλοῦμεν, *Non enim Angelis subjecit mundum hunc futurum de quo loquimur.* Futurus mundus, de quo nunc loquitur, est ætas mundi in qua incœpit *salutis istius*, de qua v. 3. *per Christum & Apostolos dispensatio*, quæ quidem ministratioi Angelorum non subjecta fuit, ut erat lex prioribus sæculis, quæ *ordinata est per Angelos. Act.* 7. 53 & *Gal* 3. 19. *Antequam enim veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι, in eam quæ revelanda erat fidem. Gal.* 3. 23. Atque hujus fidei ministratio non subjecta fuit *Angelis*, sed regno *Christi*, quod per Evangelii prædicationem ἐν ὑστέροις καιροῖς, *in posterioribus temporibus* ministratum est, *cum signis & miraculis*, καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, *& multis virtutibus*, quas etiam vocat, 6. 5. δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος, *Virtutes futuri sæculi.* Quod quidem non potest esse aliud quàm ἡ οἰκουμένη μέλλουσα. *hic futurus mundus* sæculum salutis, mundus Evangelii.

C. 6. v. 4. &c. Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας &c. καὶ παραπεσόντας πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας. *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati & gustarunt donum cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, & gustarunt bonum verbum Dei, & virtutes futuri sæculi, & prolapsi fuerint rursùm sibi metipsis crucifigentes filium Dei, & ad ignominiam exponentes denuò renovare ad pœnitentiam*

am. Est etiam necessariò in hoc loco metathesis, Nam certè τὸ πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν non suo loco apponitur, vel enim sequi debuit ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας, vel præcedere post ἀδύνατον γὰρ v. 4.

C. 7. v. 1. Οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδὲκ &c. Ut recta fiat interpretatio, recurrendum ad versum decimum nonum præcedentis capitis. Καὶ εἰσερχομένου εἰς τὸ ἐπουράνιον τοῦ καταπετάσματος, ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα. Οὗτος γὰρ (ὁ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ, ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων, καὶ εὐλογήσας αὐτόν. ᾧ καὶ δεκάτην ἀπὸ πάντων ἐμέρισεν Ἀβραὰμ, πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐστι, βασιλεὺς εἰρήνης, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ,) μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. *Et incedentem in interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Jesus secundum similitudinem Melchisedec Pontifex factus in æternum Hic enim* [Jesus] (*ipse Melchisedec rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas ex omnibus divisit Abraham, qui quidem primùm est interpretatione Rex justitiæ, deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, sed assimilatus filio Dei,*) *manet sacerdos in æternum.* Vox, *Jesus*, à communi repetenda. *Hic enim Jesus, qui introiit in interiora velaminis, pontifex factus in æternum secundum similitudinem*

litudinem Melchisedec, ipse, verus existens *Melchisedecus*, præfiguratus verò in *Melchisedeco*, *qui obviavit Abrahamo*, &c. erat enim ille nisi figura *Christi. Hic Jesus*, aio, *manet sacerdos in æternum.* Dicitur *Melchisedec assimilatus filio Dei*, eò quod vocatur *sacerdos Dei altissimi*, *Rex justitiæ & pacis*, *neque dierum initium*, *neque finem vitæ habens*, &c. quæ attributa sunt soli congrua filio *Dei*; licèt tamen quodammodò *Melchisedeco* communicabilia, quia nec pater, nec mater, nec ætas ejus memoratur in Scripturâ. Atque hæc lectio, distinctio, & interpretatio, quæ sunt in se admodùm legitimæ, vitant duas egregias ἀτοπολογίας, alteram in natura, mortalem vivere in perpetuum, alteram in fide, duos esse sacerdotes qui remanent in æternum. Adeò ut nihil restet, his expeditis, quod impediat difficillimæ quæstionis solutionem, nisi verba quæ sequuntur. v. 8. Καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσιν, ἐκεῖ δὲ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. Quæ verba si pari modo rectè exponantur (ut fieri potest licitè) omnia salva fiunt, nec est quod quis ultrà de mente hujus loci dubiter. Atqui ut id fiat, post ζῇ subaudiendum ὄζι, & non λαμβάνει: ἐκεῖ δὲ ὄζι μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. *Atque hic quidem decimas accipiunt morientes homines*, *ibi verò est de quo testatum est quod vivit.* Ut semel dicam, ὧδε, *hic*, i. e. in hoc mundo homines qui moriuntur sunt sacerdotes, illi enim soli accipiebant decimas, ἐκεῖ δὲ, *ibi verò*, i. e. ἐν τῷ ἐσωτέρῳ τοῦ καταπετάσματος, &c. *in interiore velaminis ubi præcursor pro nobis introiit Jesus*, nempè in summo cœlo *est ille de quo testatum est*, *quod factus sit sacerdos in æternum secundum similitudinem Melchisedec*, qui semper vivit *Jesus Christus.* Atque hoc totidem ferè verbis ipsissimo

sensu repetit *Apostolus*, v. 23. 24 & 25. quasi de industria ut mentem hujus loci explicet. Καὶ οἱ μὲν πλείονές εἰσι γεγονότες ἱερεῖς &c. *Et illi quidem*, qui sunt δέ, *hic*, in hoc mundo, *plures sunt facti sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic verò* [nempè *Jesus*] *eò quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, πάντοτε ζῶν, semper vivens ad interpellandum pro eis.* Ita ut qui *accipiunt decimas & moriuntur*, v. 8. non possint esse alii quàm *plures sacerdotes qui morte prohibebantur permanere*, v. 23. Neque *ille de quo testatum est quod vivit*, v. 8. potest esse alius quàm ipse *Jesus*, qui v. 24. dicitur *manere in æternum*, & v. 25. *semper vivens*. De mente igitur hujus loci non est opinor quod quis ultra dubitet, nisi sponte occludat oculos. Et quidem *Heinsius* positivè affirmavit, necessariò ipsissimos eosdémque esse utrisque locis nominatos, in majorem fidem *Ambrosii* testimonium addens. *Quis est qui vivit? Ille etiam qui secundum ordinem Melchisedec factus est sacerdos in æternum.* Multa plura possunt addi, sed hæc reor sufficere ad demonstrandum, verba illa, *manet sacerdos in æternum*, v. 3. & *de quo testatum est quod vivit*, v. 8. unicè intelligi de ipso *Jesu*, nullo verò modo de *Melchisedeco*. Adeò ut evanescat prorsus opinio *Cunæi*, qui *Christum* voluit ipsum eundémque fuisse *Melchisedecum*, qui obviavit *Abrahamo*, *Gen.* 14. *specie humanâ, sacerdotis, regisque habitu indutus*. De qua opinione non amplius addam, quam quod pronunciavit *Beza*. *Eos nempè esse apertè fanaticos qui eam tuebantur*; & argumentum *Epiphanii*, Οὐ γάρ τις ἑαυτῷ ὅμοιος γενήσεται ποτε, *Non enim sibi similis quisquam unquam*

unquam erit vel *appellari potest*, ut *Interpres*. Κατὰ τάξιν, ipse *Apostolus* interpretatur, κατὰ τὴν ὁμοιότητα, *secundum similitudinem Melchisedec*, v. 15. & sic passim exponunt interpretes.

V. 4. ᾧ καὶ δεκάτην Ἀβραὰμ ἔδωκεν ἀπὸ τῶν ἀκροθινίων ὁ πατριάρχης. Insigne est & hic Hyperbaton pro ᾧ καὶ δεκάτην ὁ πατριάρχης Ἀβραὰμ &c.

C. 9. v. 1. Τό, τε ἅγιον κοσμικόν, *Sanctuarium mundanum*, i. e. Sanctuarium factum opificio humano, ἀντίτυπον τῶν ἀληθινῶν, *antitypum veri* Sanctuarii in quod ingressus est *Christus*, nempè εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, *in ipsum cœlum*, v. 24. vocatur etiam v. 11 χειροποίητον, τοῦτέστι, ταύτης τῆς κτίσεως, *manufactum*, i. e. *hujus mundi*, Distinguit inter sanctuarium cœleste, quod *fixit Deus, & non homo*, 8. 2. cujus minister est *Christus*, & inter *sanctuarium mundanum*, quod fabricavit *Solomon* ope humanâ, cujus ministri sunt sacerdotes *Aaronici*. Neque vero *atrium Gentium*, quod aliqui hoc loco volunt esse τὸ ἅγιον κοσμικὸν usquam vocatur ἅγιον. Imò ipsi, quibus patebat *atrium gentium*, ἐντὸς τοῦ ἁγίου παρεῖναι, &c *transire in locum sanctum, scripto literis Græcis & Latinis prohibebantur. Joseph. de bell. Jud. lib. 6. c. 6.*

V. 15. Καὶ διὰ τοῦτο διαθήκης καινῆς μεσίτης ἐστὶν, ὅπως θανάτου γενομένου εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων, τοὺς κεκλημένους τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν οἱ κληρονομίας. *Et propter hoc novi testamenti mediator est, ut, morte facta* [nempè sua] *in redemptionem sub priore testamento transgressionum, promissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis*

i. e. *accipiant* omnes *qui vocati sunt* vel sub priore vel sub novo testamento. Vel aliter, *ut*, *morte facta* vitulorum nempè & hircorum *ad expiandum peccata* sacerdotis & populi *sub testamento priore*, *Lev.* 16. *qui vocati sunt* sub testamento novo per prædicationem Evangelii, *accipiant promissionem æternæ hæreditatis*; *Per prædicationem* aio *Evangelii*, est enim τὸ κεκλημένοι in spirituali sensu sive spiritualiter intellectum verbum purè *Evangelicum*. Potrò per prædicationem Evangelii discimus, quòd *Christus ingressus est in sancta*, i. e. in summum cœlum *per proprium sanguinem*, suâ morte pro nobis *æternam redemptionem adeptus*, v. 12. Atque hinc idoneo sensu sequitur v. 16. & 22. *Nam ubi testamentum est, mortem necesse est intercedere testatoris, & absque sanguinis effusione non fit remissio.* Mors enim & effusio sanguinis hircorum & vitulorum sub lege typus erat mortis *Christi* sub Evangelio, adeò ut salvarentur patres per fidem in venturo *Christo* dum typicè peragebant ejus mortis symbola per effusionem sanguinis hircorum & vitulorum pro expiatione peccatorum, ut salvantur nunc fideles per fidem suam in *Christo* jam exhibito. Vel adhuc aliter, locus enim est non adeò facilis; *Ut, morte existente in priore Testamento ad redemptionem trangressionum, promissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis, morte existente*, i.e. τῆς νεκρώσεως γενομένης, quod *Anglicè* diceremus, ut *Rom.* 4. 19. **There being a deadness in the first Testament as to the redemption of transgressions.** Quasi diceret, *Idcirco mediator est novi Testamenti, ut*, cum prius sit quasi emortuum sine viribus ad liberandum servientes à peccatis, *promissionem* nunc *accipiant*

ant æternæ hæreditatis, qui vocati ſunt per prædicationem Evangelii, quæ fidem poſtulat in morte *Chriſti*, propterea quod *Lex nunquam poteſt* ſuis *hoſtiis accedentes perfectos facere*, neque *poſſunt hoſtiæ peccata auferre.* c. 10. v. 1. & 11. Propterea quod emortuum & impotens erat prius teſtamentum ad peccata redimendum, eſt *Jeſus Chriſtus* mediator novi: *Quod ſi prius vacaſſet culpâ, non quæreretur ſecundo locus. Heb.* 8. 7.

C. 10. v. 26. Ἑκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων. &c. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis non amplius relinquitur pro peccatis hoſtia.* Sic 2 *Macc.* 14. 3. ἑκουσίως μεμολυμμένοις, *Voluntariè coinquinatus* ut in utriſq; locis *Vetus*, i. e. *volente animo* ſeu *volenter*, *prudenter*, & *ſcienter*, ut dicimus *Anglicè*, with ul=ſp, in quo ſenſu ſe dicit *Cicero pro Marcello*, *nulla cupiditate, ſed ne ſpe quidem prudentem & ſcientem tanquam ad interitum ruiſſe voluntarium.* Qui vero voluntariè poſt acceptam notitiam veritatis peccant, ſunt *Apoſtatæ*, qui ex profeſſo reſiliunt à *Chriſto*, ut bellum indicant veritati, qui quantum in ſe eſt *rurſum crucifigunt filium Dei, & ad ignominiam exponunt*, c. 6. cui cùm ſemel volenter renunciârint, quid aliud poſſunt expectare niſi horrendum judicium, cùm præter ipſum *non ſit* in mundo *pro peccatis relicta hoſtia?*

C. 11. v. 4. Καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται. Subaudiendum εἶναι, Elleipſi frequentiſſimâ, i. e. ἀποθανὼν εἶναι. *Et propter eam adhuc dicitur eſſe mortuus*, nempè propter fidem. Fratrem enim ſuum occidiſſe *Cain* propter fidem, *per quam teſtimonium obtinuit quòd eſſet juſtus*, adhuc in hunc uſque diem dicimus. Vide 1 *Joh.* 3. 12.

V. 11. Εἰς καταβολὴν ζ σπέρματος, *Virtutem accepit in fundationem seminis, quod futurum erat*, ut sequitur, *tanquam sydera cœli in multitudine*, &c, *In quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ.* Καταβολὴ dicitur, *cùm res aliqua sumit exordium. Hieron* ut καταβολὴ κόσμου, *Fundatio mundi. Matth.* 13. 35. *Luc.* 11. 50, *Heb.* 4. 3. *Apocal.* 13 8. 17. 8. Quâ verò Philosophiâ, Logicâ, Grammaticâ, vel quo Lexico poterit verti, *virtutem in conceptionem seminis accepit*, vel *ad ejaculatum semen concipiendum*, magis literatis inquirendum ego-met relinquo.

V. 37. Ἐπειράσθησαν, *Tentati sunt*: ut *Job. Schol. Græc.* ut *Abraham* & *Isaac. Theodoret.* Sed plerique recentes, ut & aliqui inter *Veteres*, alterius sunt sententiæ, ideoque dicunt irrepsisse hoc verbum imperitiâ Amanuensis, vel non rectè scribi vel per παράγραμμα καλλιγραφικὸν vel ἀπογολικόν. Eò enim quòd tautologia foret dicere ἐπειράσθησαν, *tentati sunt*, cùm modò dictum sit πεῖραν ἔλαβον, quod unum idémque sonat, & quia sunt ab utráque manu verba denotantia aliquod genus mortis, probabile existimant, vel hoc verbum non debere omninò legi, ut à *Syro*, *Æthiopico*, *Chrysostomo*, & aliis omittitur; vel si legatur, debere intelligi in aliquâ notione, cujus nulla antea facta est mentio, & quæ genus aliquod mortis denotat. Atque inde moti legerunt aliqui, ἐπυρώθησαν, alii ἐπυρήθησαν, *cremati sunt.* At verò si quis est conjecturæ locus, crediderim ego potiùs debuisse scribi, ἐπρίσθησαν, propter magis gratam *paronomasiam*, quæ familiaris erat *Paulo*; ἐλιθάσθησαν, ἐπρίσθησαν, *lapidati sunt, serrâ dissecti sunt, transfossi* vel *transfixi sunt*, Mortis genere

nere adeò noto, ut non sit credibile *Apostolum* hoc loco illud posse præterire, ubi singulatim enumerat tor mortis genera, quæ *Christiani* iis temporibus, & *Prophetæ* olim perpessi sunt propter fidem; Inter quæ *Nicephorus* & *Eusebius* ex *Dionysii scriptis de Martyribus Alexandrinis* enumerant etiam *transverberationem viscerum per fudes*, quod apud *Pharorinum* ἀναςκολοπίζειν, dicitur. Τὸ γὸ παλαιὸν τὰς κακυργοῦντας ἀναςκολόπιζον (ὀξύνοντες ξύλον διὰ τῆ ῥάχεως τῷ νώτῳ) καθάπερ τὰς ὀπτωμένους ἰχθύας ὅπι ὀβελίσκων. *Olim enim malefactores transfigebant* (*figentes palum per spinam dorsi*) *quemadmodum pisces assatos in verubus.*

C. 12. v. 24. Καὶ αἵματι ῥαντισμῦ κρεῖττονα λαλοῦντι παρὰ Ἄβελ. *Et ad sanguinem aspersionis quæ meliora loquitur quàm Abelis* aspersio: sive ut quidam codices legunt, παρὰ τὸ, quàm sanguis *Abelis*, sive ut *Interlinearis* in *Bibliis nostris Polyglottis*, *Et sanguine aspersionis meliora loquentem quàm Abel.* Legas verò quocunque modo velis, sensus eòdem recidit, & planè est hujusmodi. Sacrificium sive oblationem *Christi* in cruce meliora loqui ad placandam iram *Dei*, quàm sacrificium vel oblatio *Abelis*, i.e. quàm locutus est sanguis, quem obtulit *Abel Deo* in sacrificium, quòd scilicet erat typus, isque omnium quos novimus primus magni illius sacrificii, quod in plenitudine temporis obtulit in cruce per effusionem sanguinis sui *Christus* propter peccata mundi; & propter hoc ipsum quod *Abel* primus omnium viventium obtulit oblationem *Domino de primogenitis gregis sui*, per quam testificatus est fidem in venturo *Christo*, & sese oblaturo pro peccatis mundi, omninò videtur *Deus* respexisse ad *Abelem* & *oblationem ejus*. *Fide* enim dicitur

tur *Abel obtulisse Deo melius sacrificium quàm Cain*, & *per hanc* sive *propter hanc fidem testimonium consecutus est quòd esset justus*. Adeò ut nihil àliud denotet hoc loco τὸ, Ἀβὲλ, quàm ritus & oblationes *veteris Testamenti*, unico exemplo eóque nobilissimo posito pro omnibus. Dicere verò, quòd sanguis *Christi* meliora loquitur quàm sanguis *Abelis*, qui clamat ad cœlum pro vindicta contra *Cain*, ut mitiùs dicam, non convenit cum scopo loci, cùm *Apostolus* ferè totus in hoc laborat, ut palam faciat quàm invalidæ cæremoniæ veteris legis erant ad acquirendam vitam æternam, & quantum fœdus *Evangelii* præstiterit fœderi *veteris Testamenti*, ut liquidò manifestum est per totam sermonis seriem, c. 9. & 10. Sed ut rem ipsam salvâ reverentiâ dicam, expositio illa est planè ἄτοπος, contraria ipsi Logicæ. *Comparata enim esse oportet secundum magis & minus ejusdem speciei & naturæ*, ita, ut in comparatione melioritatis alterum dici possit aliquo modo & gradu bonum ad id, ad quod alterum melius dicitur; τὸ κρεῖττον καλοῦ τινός ἐστι κρεῖττον. *Quod melius est, melius est aliquo quod bonum est, Chrysost.* At verò sanguis *Abelis* proprius non fuit omniò bonus, ad id, ad quod valebat sanguis *Christi*.

C. 13. v. 4. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. Verba sunt mandatoria, ut præcedentia & subsequentia, subaudiendo ἔστω. *Memores estote vinctorum*, &c. *Conjugium sit supra omnia pretiosum* vel *honorabile*, & *torus impollutus. Sint mores alieni ab avaritia, contenti estote præsentibus.*

V. 22. Ἀνέχεσθε τοῦ λόγου τῆς παρακλήσεως, *Rogo autem vos fratres ut sufferatis hoc verbum exhortationis*; τοῦ pro τούτου.

In

In Jacobum.

JAC. c. 2. v. 1. Nolite habere in acceptione perſonarum, τὴν πίστιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης: nobilis trajectio, pro τὴν πίστιν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν τῆς δόξης. *Fidem Jeſu Chriſti Domini noſtri gloriæ.* Qualis etiam occurrit 3. 1. Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, pro μὴ πολλοὶ γίνεσθε διδάσκαλοι. *Nolite multi* [veſtrum] *fieri doctores, ſcientes quòd gravius accipiemus judicium.* Et etiam 3. τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν, pro τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα τῶν ἵππων βάλλομεν. *Frena immittimus in ora equorum*, nè quis dubitet eam etiam eſſe de induſtriâ affectatam elegantiæ gratiâ.

C. 4. v. 5, 6. Ἢ δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει, πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατῴκισεν ἐν ἡμῖν; Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, διὸ λέγει, ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται &c. *Vel putatis fruſtra Scripturam dicere, ſpiritus, qui habitat in nobis, concupiſcit* ſive *appetentiâ quâdam fertur ad invidiam? Majorem verò dat gratiam, in eo quod dicit, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Ubi reperiatur ſcriptum in terminis, (*Spiritus qui habitat in nobis concupiſcit ad invidiam*) non liquet, periit ergò ut & alia Scripturæ multa. Senſum verò petendum arbitror ex iis quæ præcedunt. Dicitur enim v. 2. ὀπιθυμεῖτε καὶ οὐκ ἔχετε, φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν, μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε,

λεμεῖτε, &c. *Concupiſcitis & non habetis, invidetis & æmulamini & non poteſtis adipiſci, pugnatis & belligeratis, ſed non habetis propterea quod non petitis.* Fatę orin omnibus quos vidi codicibus legi φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, *occiditis & æmulamini*, ſed multò magis conveniunt ſenſu φθονεῖτε καὶ ζηλοῦτε, (ut debere legi opinatur *Beza*) quia ſunt Synonyma, ut ſunt μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε: quid etiam æmulentur ſi occiderint: Quod ſi omninò legatur vox φονεύετε, ſequeretur aptiùs poſt μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, *pugnatis & belligeratis & occiditis*, importunè enim certè connectitur cum ζηλοῦτε. Sententia *Apoſtoli* ex ordine verborum videtur eſſe, ut oſtendat quomodo ex concupiſcentiâ iſtâ, quæ habitat in nobis, oriantur bella. Primo inquit concupiſcitis, deinde quia non habetis quod concupiſcitis, invidetis proximo qui potitur eo quod concupiſcitis, & ultimo quia non poteſtis aliter adipiſci, ad pugnam itur & ad bellum, ut illud vi extorqueatis. Atque hinc docemur, quomodo *ſpiritus qui habitat in nobis concupiſcit ad invidiam.* Propter concupiſcentiam alicujus rei quam non habemus, ſpiritus noſter fertur ad invidiam proximi, ex qua bellum oritur & contentio. Concupiſcentia mater invidiæ, invidia belli. Sequitur, *majorem verò dat gratiam, in eo quod dicit*, i. e. *Scriptura* utroque loco, non eſt enim aliud antecedens. Quaſi diceret *Apoſtolus*, Scriptura quidem dicit naturaliter nos eſſe ad invidiam, & conſequenter ad omne malum pronos, ſed magis alibi eſt propitia, ubi dicit, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Job. 22. 29. Prov. 3. 34.* Eo ipſo monens, quod ſi velimus ſpiritum illum, quo ita proni ferimur ad invidiam, compeſcere, & *ſubjicere nos Deo & humiliari coram eo*,

ut

ut sequitur 7. & 10. eum velle suo tempore nos *extollere.*

C. 5. v. 9. Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων *Nolite ingemiscere in alterutrum*, vel *lugere vosmet ipsos invicem.* Verbis præeuntibus *patientes esse* jubet, & *stabilire corda*, *quoniam adfuit adventus Domini* Hic rursus suadet non desponderе animum, & se lugere invicem, *nè propter impatientiam condemnentur, nam ecce Judex*, qui fuit eos vindicaturus, *erat præ foribus, antè januam astitit*, &c. Καταστενάζω, *cum gemitu deploro. Basil.* Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων, idem est ac si dixisset, *μὴ καταστενάζετε ἀλλήλων, nè ingemiscatis alius super alium*, Sed prius mollius sonat, eò quod hiatum tollat, κατ cum *Genitivo*, *super.*

V. 16. πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. *Multùm valet potens oratio justi.* **The powerfull prayer of a righteous man availeth much**, ἐνεργὴς, δυνατὸς, ἰσχυὸς, *potens*, *validus* vel *fortis. Hesych.* i. e. ut *Erasmus*, *deprecatio ex animo profusa*, *intenta & instans ut assequatur quod petit.* Qualis fuit *Annæ cum profudit animam coram Deo* 1 *Sam.* 1. 15. vel *Jacobi* cum *luctabatur cum Angelo. Gen.* 32. 24. & 28. vel *Mosis* cum adeò instaret, ut diceret ei *Dominus*, *dimitte me* &c. *Exod.* 32. 10. 11. Atque hæc versio mihi videtur aptior, quam est, *efficax*, *effectuall Efficax* enim propriè est quod certò efficit, & non quod aptum est efficere. At non dicitur πάνυ ἰσχύει, *omninò valet*, sed πολὺ *multùm valet potens oratio justi.* Ut habet versio *Æthiopica* pro more suo paraphrasticè. *Multum juvat oratio justi*, *potens est & assistit.* ἐνεργουμένη est *potenter operans*, sed non semper *effectivè.* Et sic opinor aptiùs vertitur.

vertitur. *Gal.* 2. 8. Ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ &c. *Qui enim potenter operatus est Petro ad apostolatum circumcisionis*, ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη, *potenter etiam operatus est mihi ad gentes.* **For he that wrought powerfully in Peter toward the Apostleship of the circumcision, wrought also powerfully in me toward the gentiles.**

In Epistolam primam PETRI.

1 PET. 1. v. 1, 2. Hi duo versus poterunt distingui aliter quàm vulgò solent, & verba forte exponi magis accommodè per Hyperbaton, construendo τὸ κατὰ προγνωσιν Θεοῦ πατρὸς, cum Πέτρος Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, & non cum ἐκλεκτοῖς &c. 1. Πέτρος Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας, κατὰ προγνωσιν Θεοῦ πατρὸς, 2. Ἐν ἁγιασμῷ Πνεύματος εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη. *Petrus Apostolus Jesu Christi secundum* [vel] *per præscientiam Dei Patris Electis peregrinis dispersionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ & Bithyniæ, 2. Gratia vobis & pax multiplicetu*

tiplicetur in sanctificatione Spiritus ad [vel] *per obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Quali non omnino absimili pro loquendi formulâ salutatione utitur 2 Ep. c. 1. v. 2. χάρις ὑμῖν &c. *Gratia vobis & pax multiplicetur in scientia Dei & Jesu Christi Domini nostri.* Trajectiones ejusmodi non sunt apud *Petrum*, nec alibi in *N. T.* inusitatæ, ut jam sæpiùs dictum est. Ἀπόστολος κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ, idem omninò sonat quod ferè dicitur in omnibus *Pauli* Epistolis, Παῦλος Ἀπόστολος διὰ θελήματος Θεοῦ, *Paulus Apostolus per voluntatem Dei*; & 1 *Tim.* 1. 1. κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ, *per ordinationem Dei.* ἐκλεκτοῖς idem est ac si dixisset, ἁγίοις *sanctis* vel πιστοῖς *fidelibus. Eph.* 1. 1. & alibi. Sed hæc ἀπερισπάστως dicta sunto, οὐχ ἵνα βρόχον ἐπιβάλω, *non ut vinculum imponam*, liberum est cuique prout vult sentire.

C. 2. v. 7. Ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν, ἀπειθοῦσι δὲ, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, καὶ λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου. Aut verba illa [λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας] non debuerunt omnino legi, ut omissa sunt à *Syro*; aut periocha ista est exponenda per metathesim, ut distincta supra; neque sunt ejusmodi metatheses in *N. T.* omnino infrequentes, ut videre est in *animad. Act.* 13. 27. & alibi. τῷ, ἀπειθοῦσι δὲ, sequente recto sensu post γωνίας, Quasi legeretur, ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσι λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, ἀπειθοῦσι δὲ καὶ λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου. i. e. Construendo ἡ τιμὴ appositivé. *Vobis igitur honor credentibus lapis ille quem reprobaverunt*

runt ædificantes factus est in caput anguli, non credentibus autem & lapis offensionis & petra scandali. In quo fere ordine & sensu exponit etiam per metathesim *Scholiastes Græcus.* ἔσαι ἓν τὸ ὅλον ἔπος· Ἰδὲ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον &c. ἔντιμον ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν, ἀπειθοῦσι δὲ λίθον προσκόμματος, ὃν λίθον μὲν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, ἔτος δὲ ἐγένετο εἰς κεφαλὴν γωνίας, συνάπτων μὲν τοὺς πιστεύοντας εἰς αὐτὸν, λίθος δὲ προσκόμματος τούτοις οἱ προσκόπτοντι τῷ λόγῳ &c. *Est igitur totius summa hujusmodi. Ecce pono in Sion lapidem summum angularem &c. pretiosum vobis qui creditis, at verò non credentibus lapidem offensionis, quem lapidem reprobaverunt quidem ædificantes, sed factus est ille in caput anguli, connectens sibi eos qui credunt, lapis verò offensionis iis, qui impingunt non credentes verbo evangelii in id ad quod erant positi.* Aut potuit ista τὸ, ἀπειθοῦσι δὲ transpositio aliquo fato accidere, fortè erat apposita in margine & incuria apographi non suo loco inserta. Nullo enim opinor sensu potest dici vel intelligi, *Christum fuisse factum non credentibus caput anguli:* Licet tamen ita exponant aliqui, nempè, *Christum vel invitis ac rejicientibus eum Judæis factum esse templi spiritualis caput.* Sed expositio ista est coacta, nec quadrat cum scopo loci, qui prorsus est hujusmodi. Vobis igitur quod honor est credentibus lapis ille, quem reprobaverunt ædificantes in nullo habentes pretio, factus est lapis summus angularis, in quem vos estis omnes ædificati, *Eph.* 2. 22. dum interim lapis idem sit factus non credentibus lapis offensionis & petra scandali, in quem impingentes confundentur. λίθον ὃν, per trajectionem dicitur, pro ὃν λίθον,

λίθον, quale est illud apud *Virgilium*, *Urbem quam statuo vestra est.* fortè per *Antiptosim.*

V. 12. Ἐκ τ καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες, *Ut in eo quod loquuntur contra vos uti maleficos, spectantes vestra bona opera, glorificent Deum in die visitationis.* Subaudiendo τὰ & repetendo ὑμῶν à communi. i. e. τὰ ἐκ τ καλῶν ἔργων ὑμῶν. Dictio est elleiptica, qualis est *Luc.* 21. 16. καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν pro τὰς ἐξ ὑμῶν. *Et trucidabunt vos,* & *Psal.* 78. 31. καὶ ἀπέκτεινον ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν pro τὰς ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν. *Et occidit pingues eorum* & 1 *Joh.* 4. 5. ἐκ τ κόσμε λαλοῦσι, *mundana loquuntur*, ut reddit *Beza*, subintelligendo etiam τὰ ἐκ τ κόσμε. Eadem est ferè phrasis. 1 *Pet.* 5. 9. τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, *easdem afflictiones.*

C. 3. v. 20. 21. Εἰς ἣν ὀλίγαι (τυτέστιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν· δι ὕδατος· ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπε, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν δι ἀναστάσεως Ἰησ Χριστ. *In diebus Noæ cùm fabricaretur arca, in qua paucæ (id est octo) animæ servatæ sunt; per aquam etiam quod est antitypum nos nunc servat baptisma, non depositio sordium carnis, sed bonæ conscientiæ stipulatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Atque hâc trajectione, distinctione, & versione, subaudiendo ὄντι (quod est adeò familiare) vitatur insolentia vocis διὰ, ut plerumque exponitur, articulus ὃ appositè respondet voci βάπτισμα, (neque verò potest alterius vocis esse relativum, βάπτισμα enim non est antitypum ὕδατος, sed κιβωτὸς, quæ vox est fœminini generis,) & verus etiam scopus mentis *Apostolicæ* fit

multò planior. Neque est hæc trajectio omnino dura, imò tantum abest ab insolentiâ vel duritie, ut potius videatur grata. *Trajectione* enim simili *sæpius usum esse Demosthenem* affirmat *Stephanus ad venustatem sermoni conciliandam*, quales etiam affectâsse & alios *Græcos* & *Latinos*, atq; ipsos etiam *Apostolos* est abundè notum. Est enim alia in hoc ipso loco translocatio non invenusta, nè dicam affectata; ἡ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, pro ἡ ῥύπου σαρκὸς ἀπόθεσις: & alia, 2 Ep. 1. 19. ὧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, pro ᾧ προσέχοντες καλῶς ποιεῖτε. Vide etiam *Animad. Act* 13. 17. 2 *Cor.* 4. 4 *Jac.* 2. 1 & 3. 3. In summâ sensus est. *Baptisma quod nunc nos servat per aquam*, i. e. per ministerium aquæ, & est antitypum arcæ *Noæ*, non significat depositionem sordium carnis δι' ὕδατος *per aquam*, sed bonæ conscientiæ stipulationem in *Deum*, dum immergimur in aquam, (quod est verus usus æquæ in baptismate) ut testificemur fidem in resurrectione *Jesu Christi*. Adeo ut manifesta sit antithesis inter δι' ὕδατος & δι' ἀναστάσεως, & in eâ non ingrata elegantia. Ac si diceret, *Arca Noæ* [non Diluvium] erat *Baptismi* typus, & *Baptismus* erat *Arcæ antitypum*, sed non in eo quòd *Baptisma* sit *ablutio sordium carnis per aquam*, in quo non omninò respondet *arcæ*, sed quia sit *bonæ conscientiæ in Deum stipulatio per resurrectionem Jesu Christi*, in cujus resurrectionis fide nos nunc servamur, ut servati sunt illi in arca *Noæ*. Resurrectionis enim & *arca Noæ*, & *Baptismus* erant utrique typus & figura. Ita ut proprius finis baptismi non debeat intelligi quasi figmum foret ablutionis peccatorum (etsi ita sæpiùs in novo fœdere, & à *Patribus* accipiatur μετωνυμικῶς) sed μυστικῶς signum resurrectionis, per fidem in resurrectione

rectione *Jesu Christi.* Cujus *baptisma* maximè viva & Emphatica est figura, sicut erat & *arca Noæ*, ex quâ *Noah* rediit tanquam è sepulchro ad vitam novam, ideóque non ineptè a *Philone* dictus παλιγγενεσίας ἡγεμῶν, & *venter Cete*, ex quo post triduanam sepulturam resurrexit *Jonah*; & *nubes*, & *mare rubrum*, in quibus populus *Israeliticus* dicitur fuisse baptizatus, i. e. non ablutus sed sepultus. Omnia enim erant typi ejusdem rei cum baptismo, non ablutionis peccatorum, i. e. *depositionis sordium carnis*, sed mortis & resurrectionis *Christi* simul & nostrûm. Atque huic veritati suffragantur *Apostoli*, *Patres*, *Scholastici*, & *Interpretes* ferè omnes. Res est quidem ita manifesta, ut testimoniis non indigeat, quoniam vero sunt non pauci, qui non ita vulgò docent, non supervacaneum erit, nè gratís loqui videar, aliqua ex innumeris proferre testimonia. Et primo initium sumamus a *sancto Paulo.* Ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν; &c. *An ignoratis quòd quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in ejus mortem baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per Patrem gloriæ, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* &c. *Rom.* 6. 3. 4. & *Coloss.* 2. 12. ut etiam 1 *Cor.* 15. 29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, &c. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* ac si diceret, si non est resurrectio, ad quid baptizamur? in vanum utitur *Ecclesia* symbolo Baptismi, si mortui non resurgant. Occurrunt similia passim testimonia apud *Patres.* e. g. *ut credentes in ejus mortem διὰ τοῦ βαπτίσματος, per baptismum fatis participes*

ejus resurrectionis. Ignat. Ep. ad Trall. Βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου διδόμενον. *Baptisma datum in mortem Domini. Ep. ad Philadel.* nomine *Ignatii.* Τοῦ πάθους καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ ἐν τῷ βαπτίσματι τελούμενοι τὰ σύμβολα. *Passionis & resurrectionis ejus in Baptismo peragimus symbola. Just. Mart. Unum novimus salutiferum baptisma, quandoquidem una est pro mundo mors, & una ex mortuis resurrectio,* ὧν τύπος ἐστὶ τὸ βάπτισμα, *quorum typus est baptismus. Basil. Mag. Audi clamantem Paulum, Mare transierunt, & omnes baptizati sunt in nube & in mari,* βάπτισμα καλεῖ τὴν θαλάττης ὁδὸν, θανάτου γὰρ ἦν φυγὴ πληρουμένου δι' ὕδατος. *Baptisma vocat viam maris, fuga enim erat mortis impletæ per aquam. Basil. Seleuc.* Τὸ γὰρ βαπτίζεσθαι καὶ καταδύεσθαι, εἶτα ἀνανεύειν, τὸν εἰς ᾅδου καταβασεώς ἐστι σύμβολον καὶ τὸν ἐκεῖθεν ἀνόδου. *Baptizari enim & demergi, deinde sursum remeare & emergere, est symbolum* sive *signum descensûs ad inferos* sive *Hadem, & ex eo ascensûs* sive *reditûs. Chrysost. Baptismus resurrectionis pignus & imago. Ambros. Baptismus arrhabo resurrectionis. Lactan. Mersio mortis & sepulturæ formam gerit. Bern.* Innumera possem accumulare testimonia, sed hæc opinor abunde sufficient ad probandum, *Baptismum* esse propriè typum mortis & resurrectionis *Jesu Christi,* (ex quo agnoscimus mysterium religionis nostræ, nempe, humanitatem & deitatem ejus *Rom.* 1. 4.) ac etiam omnium fidelium, qui in ejus fidem baptizati sunt, à morte in peccato ad novitatem vitæ, quod si fecerint in hoc mundo, habent spem firmissimam se post mortem cum *Christo* in futuro resurrecturos ad gloriam. Unicum liceat ultra judicium apponere viri ingenui & literati, cujus in hac

re

re testimonium nec suspicari possumus nec subterfugere. Verba ejus sunt ejusmodi. *Porro quamvis immersionis cæremonia & olim fuit communior, ut patet ex communi Patrum sermone, quoties de Baptismo loquuntur, & expressiùs repræsentet mortem, sepulturam, ac resurrectionem Domini simul et nostram, quæ fit mystice in Baptismo, quam immersionis significationem diligenter urgent Patres*, &c. *unde & laudabiliorem esse immergendi ritum S. Thomas affirmat, multæ tamen rationes extiterunt ob quas mutari interdum immersionem convenichat in cæremoniam vicinam*, &c. *Hinc igitur perfusionis cæremonia tanquam inter aspersionem & immersionem media multum obtinuit; quem morem refert Bonaventura jam tum suo tempore servatum fuisse in Ecclesiis Gallicanis & nonnullis aliis, licèt fateatur immersionis ritum & communiorem esse & aptiorem, & securiorem, quemadmodum S. Thomas docet. Veruntamen ubicunque perfusionis vel aspersionis ritus jam obtinet, privatâ authoritate mutari non debet: imò quoniam nunc passim obtinet per Ecclesiam, in re tam necessariâ ad salutem non debet ullo modo revocari in dubium.* Hactenus *Estius*. In cujus verbis manifestam habemus & ingenuam confessionem, Immersionem fuisse cæremoniam veterem, quam constanter urgebant *Patres*, utpote expressiùs repræsentantem mortem, sepulturam, & resurrectionem *Christi* simul & nostram; eandem tenuisse *Scholasticos*, pro ritu maximè laudabili, apto & securo; cæremoniam verò perfusionis accidenter irrepsisse in *Ecclesiam*, quibus de causis filet. Quoniam verò illa à longo tempore jam obtinuit, non æquum esse vel expediens vocari nunc in dubium num valeat. Atque in hac sententiâ lubens ego acquiesco, modò baptisma-

tis ministri veram illam & genuinam ejus institutionis rationem doceant, & non allegoricam illam, ut mos est, ablutionis solùm; quam etiam non negârim & piè & utiliter quandóque usurpari, fecerunt enim id *Apostoli* & *Patres*. Et si hæc ita sint, quæ tam visibilis, obsecro, est affinitas sepulturæ cum ablutione, ut baptismus *Christianus* puteur originem trahere à *Judaicis* lotionibus; & baptismis? Quod si verum esset baptismum nostrum lotionem vel ablutionem significare, vel si verum esset *Judæos* ab initio vel suos vel Proselytos admisisse in *Ecclesiam* suam per baptismi collationem, quod à doctissimis viris à diebus nuperis promulgatum est, argumentum foret fateor probabile institutionem baptismi nostri peti à baptismis *Judæorum*; sed cùm de priore, ut supra ostendimus, contrarium, & de altero nihil certi constet, multò aptius & etiam fortius esse equidem credo vetus Circumcisionis argumentum pro baptismo Infantium, quàm hoc novum & incertum. *Baptismum* enim nostrum verè esse *typum* sepulturæ & resurrectionis, non verò lavationis jam satis dictum est; quoad verò argumentum eorum, quo peti volunt baptismum nostrum à *Judaicis* lotionibus, ut de eo nihil certi constat, ita etiam adeò procul est ab eo omnis *sacræ Scripturæ* authoritas, ut vix ejus in veteri vestigia reperire queam. Originem volunt petere à voce כבס *lavit* vel *purgavit*. *Exod.* 19. 10. At *Magistri*, ni fallor, habent pro Baptismo vocem טבל, quæ significat *immersionem*, satis eò indicantes se debere notionem istius vocis *Græcis* vel potiùs *Christianis*. Quid enim affine est inter lotionem & immersionem? Legimus enim quosdam arenâ etiam baptizatos. Adeò verò ipsa res incerta est, ut neque de *Rabbini-*

binis affirmari poſſit, non fuiſſe inter ipſos, qui de hac re diſſentirent: in ipſo enim textu, quem laudant doctiſſimi viri, *Rabbi Eliezer* expreſſe contradicit *Rabbi Joſhuæ*, qui primus quod novi hoc Baptiſmi genus inter *Judæos* aſſeruit; *Rabbi* enim *Eliezer*, (ut ex *Talmudo* affirmatur) qui *Joſhuæ* fuit coætaneus, ſi non ætate prior, aperte dicit, *Proſelytum circumciſum & non baptizatum verum eſſe Proſelytum, nam ſic legimus de Patribus, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, qui circumciſi erant & non baptizati.* Affirmat verò è contrario *Rabbi Joſhua, eum, qui baptizatus eſt, & non circumciſus, eſſe Proſelytum*; utri verò potiùs aſſentiar? *Eliezero*, qui affirmat quod *Scriptura* docet, an *Joſhuæ* qui affirmat quod *Scriptura* nuſquam habet? *Magiſtri* verò (quid mirum?) ſtabant pro *Rabbi Joſhuâ*, faciebat enim in rem ſuam, in honorem ſcilicet religionis *Judaicæ*, *Chriſtianos* mutuò petere ab ipſis ſuas cæremonias. At cùm videam ſummi judicii viros in his temporibus è *Rabbinis* fundamenta petere veritatis, non poſſum non tantiper hæſitare; *Unde enim nobis miſſus eſt Talmudus* (verba ſunt *Buxtorfii* in ſuâ *Synagogâ Judaicâ*) *ut ei nos tantum fidei adhibere debeamus, ut ex eo legem Moſaicam intelligi vel poſſe vel debere credamus?* Multò minus *Evangelium*, cui ex profeſſo erant inimici. Vocatur enim *Talmudus errorum Labyrinthus*, & *fabularum Judaicarum fundamentum*: perfectus eſt, & pro *Authentico* habitus quingentis poſt *Chriſtum* annis; non eſt ergo æquum ejus teſtimonio acquieſcere. Et quod me magis movet, ipſe *Joſephus*, ut taceam univerſos *Patres* ante *Talmudi* tempora, qui etiam *Judæus*, & *Rabbi Eliezero* coævus, qui etiam de induſtriâ ſcripſit de ritibus, moribus, & geſtis *Judæorum*, totus in

hac re silet, adeò ut mihi sit argumentum demonstrationi proximum, nempè duos tantæ eminentiæ viros, utrosque *Judæos*, & coævos, alterum diserte negare, alterum in suâ historiâ de hoc baptismo nullam omninò mentionem facere. Præterea si baptismus hodierno sensu fuisset in usu apud *Judæos* temporibus priscis, cur dixerunt *Baptistæ Pharisæi*, *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta iste?* *Joh.* 1. 25. An non plane innuunt nullum fuisse antea baptismi usum, & receptam fuisse opinionem inter ipsos nullum debere esse usquedum veniret *Christus* vel *Elias* vel *Propheta iste*? Quomodo igitur tanta sit affinitas inter baptismum nostrum & baptismos *Judæorum*, ut alter alteri ullo jure vel prætextu putetur succedere, est fateor ultra fidem meam. *Arrianum* verò aiunt vocare *Judæum* Εβραϊκώτερον, verùm ego cum ejus Commentatore sentio, ipsum *confuse loqui*, & velle potiùs *Christianum Judæum*, ut etiam alibi vocat *Christianos Galilæos*; ut *Lubinus* etiam in illud *Juvenalis*:

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis. &c.

Judæis vult intelligi *Christianis, qui edicto Domitiani urbe pulsi, sylvas illas inhabitare cogebantur*, quæ sacræ erant superstitioni Gentilium. Ut verò imponam finem, aio cum *Alexandro de Halys*, *Tinctio est formalis causa baptismi.* Quoad vocem ἐπερώτημα, adeò frequenter pro *stipulatione* accipitur, ut de eâ non sit opus quicquam addere. Diutius fortè nimis hæsi in his verbis, ut ostenderem germanum esse Baptismi finem, ut monstret mortem & resurrectionem *Christi* simul & nostram, nostrámque in eâ fidem, non verò esse proprie ablutionis signum à peccato, quod

Apostolus

Apostolus videtur his verbis quasi de industriâ diserte negare.

C. 4. v. 6 Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη, ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι. Subaudiendum ὁι, ante κατὰ ἀνθρώπους, & ante κατὰ Θεὸν, Ellipsi admodum familiari, de qua vide *Animad.* 1 *Cor.* 2. 2. *Ad hoc enim & mortuis prædicatum est* sive *Evangelizatum, ut damnarentur qui erant secundum homines in carne, vivant autem qui* erant *secundum Deum in Spiritu,* i. e. ut damnarentur qui incedebant vel vivebant ἐν ἀνθρώποις ἐπιθυμίαις &c. *in cupiditatibus hominum*; salventur verò qui vivebant ἐν θελήματι Θεοῦ, *in voluntate Dei*, ut est v. 2. Phrasis est omninò eadem apud *Paulum*, *Rom.* 8. 5. Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος. *Qui enim sunt secundum carnem quæ carnis sunt sapiunt, qui verò sunt secundum Spiritum, ea quæ sunt Spiritûs.*

In

In Epistolam secundam PETRI.

2 PET. c. 1. v. 5. Καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετὴν, ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ γνῶσιν &c. Ante vocem σπουδὴν subaudi χρὴ, ἐν frequenter pro σὺν cum. *Et hoc ipsum cum omni diligentiâ introducentes, jungite invicem cum fide virtutem, cum virtute scientiam, cum scientia temperantiam, cum temperantia autem patientiam, cum patientia pietatem, cum pietate verò fraternum amorem.* *Introducentes*, i. e. conantes introducere, *hoc ipsum cum omni diligentiâ promoventes.* Respexisse videtur *Apostolus* ad antiquum morem ducendi *choros*; vox enim ἐπιχορηγεῖν propriè significat *chorum ducere.* In *choris* verò συνεπλέκοντο ἀλλήλοις, *complicabantur invicem.*

Ὠρχοῦντ' ἀλλήλων δὴ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες.

Saltabant tenentes manus invicem per volam. *Hom.* Saltabant invicem juncti complicatis manibus, aliis aliis famulantes vel ministrantes, & se invicem sustinentes. Unde vox ista, ἐπιχορηγεῖν, omnes has videtur obtinuisse significationes. Et verò hic bellum *Gratiarum* chorum, ubi chorum ducit fides, eique invicem complicatæ famulantur reliquæ *Gratiæ* sese mutuò sustinentes. Graphicum in choris saltandi morem videre est apud les tableaux de *Philostrate* in figura.

v. 20.

V. 20. Ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. *Quòd omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit*, ut *Interlinearis* & *Vetus*. γίνεται, ἀποτελεῖται, εἰς τέλος ἐνεργεῖται. *Phav.* Adeò ut sensus meâ sententiâ sit hujusmodi. Omnis Prophetia non perficitur secundum literalem (literalis enim est ordinariè propria) interpretationem Scripturæ, Vel reddi poterit, *omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione* vel *solutione non fit. Prophetiæ* enim plerumque habent sensum *typicum*, *mysticum*, & *analogicum*. Atque hic sensus admodum quadrat cum contextu, καὶ ἔχομεν &c. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Quidnam verò est hæc *lucerna lucens in caliginoso loco*, nisi Prophetiæ de *Christo*, in propriâ interpretatione Scripturæ, i. e. ordinariâ, obscuræ & caligine obvolutæ, usque dum typum & mysterium lux evolvat Evangelii in cordibus; ideóque hoc *præcipuè* monet *dignoscere* & cavere, nè hærerent nimium in nudâ literâ, sed animum potiùs adverterent ad mentem Prophetiæ, ad mysterium quod velatum erat in litera. οὐ γὰρ θελήματι &c. *Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia*, i.e non pro suo libitu prophetârunt homines, sed *loquti sunt sancti Dei homines prout agebantur spiritu*; sensu aliquando *typico*, aliquando *mystico*, in *ænigmate*, ut videntes γράφων, non viderent ἐπίλυσιν, nisi in quorum cordibus illuxit dies *Evangelii*.

C. 3. v. 2. Καὶ τῶν Ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος. Est & hic trajectio notabilis, recta enim constructione dicitur, καὶ τῶν

τ ἐντολῆς τ Ἀποστόλων τ Κυρίε ἡμῶν κ σωτῆρ, ut est infra, v. 8. *Ut memores sitis verborum quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, & præcepti Apostolorum Domini & Salvatoris nostri.* Quæ ferè ipsissima habet *Judæ.* v 17. μνήσθητε τ ῥημάτων τ προειρημένων ὑπὸ τ Ἀποστόλων τ Κυρίε ἡμῶν Ἰησ Χριστ.

V. 6. Δὶ ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο. Δὶ ὅν, idem significat quod ἀνθ' ὧν, *propterea, idcirco, quamobrem. Propter quæ qui tunc erat mundus aquâ inundatus periit.* Sensus est, Mundum illum, qui olim fuerat, diluvio periisse propter ea ipsa, propter quæ qui nunc est mundus igni *repositus*, & *reservatus est in diem judicii.* Nempe quia erunt in illis diebus, ut erunt in novissimis, *irrisores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, & dicentes, ubi est pollicitatio adventus ejus?* qui volenter ignorantes, noluerunt credere prædicationi Noæ, quapropter in eos supervenit Diluvium, ut *fur* etiam in *nocte.* Vide *Luc.* 17. 26.

In Epistolam 1. Johannis.

1 JOH c. 1. v. 2. Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη &c. *Et hæc vita manifestata est & vidimus & testamur & annuntiamus vobis* τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον *hanc vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & nobis manifestata est.* ἡ pro αὕτη & τὴν pro ταύτην.

C. 2. v. 22. Τίς ἐστιν ὁ ψεύστης εἰ μὴ ὁ ἀρνούμενος

νέμουσι ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ὁ Χριστός. *Verbis, quæ sunt per se negantia, Attici negationem addunt, Quis est mendax nisi qui negat quòd Jesus est Christus?* Importunum verò hoc loco videtur addere, quæ restituit *Beza* & *Interpres Anglicus* ex manuscripto codice *Syro* & *Latino*, viz. *Qui confitetur filium & patrem habet.* Quæ verba sunt omnino superflua, nec ulli serviunt usui, imò potiùs destruunt sensum. Verba enim, *omnis qui negat filium, nec patrem habet*, adducuntur in probationem propositionis præcedentis, nempè, quòd *ille est Antichristus, qui negat patrem & filium.* Quasi si objiceret quispiam, Ego non sum *Antichristus*, quia ego non nego *patrem* & *filium*, agnosco enim *patrem*, respondeatur illicò, At verò tu es *Antichristus*, qui ita dicis & negas *filium*, *Qui* enim *negat filium, non habet patrem. Quisquis enim diligit genitorem, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.* 5. 1. &, *qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit filium. Joh.* 5. 23.

In Judam.

JUD. v. 18. Κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῆς ἀσεβειῶν, Etiam in hoc loco Hyperbaton non vulgare, nec enim parum vexavit interpretes pro κατὰ τὰς ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῆς ἑαυτῶν ἀσεβειῶν unica voce tantum ἑαυτῶν transpositâ. *Et secundum cupiditates incedentes suarum impietatum.* vel secundum impias suas cupiditates incedentes. Adeò ut fatendum sit in singulis *Apostolis* reperiri Hyperbata, ne quis ultra in iis hæreat.

In

In Apocalypsin.

APOC. c. 1. v. 5, 6. Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ· αὐτῷ ἡ δόξα &c. *Et qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris sanguine suo, qui fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri ejus, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.* Secundum vulgarem syntaxin oportuit scribi, καὶ ποιήσαντι, sed locutus est *Apostolus* eâdem phrasi quâ usus est in Evangelio, 15. 6. ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα καὶ ἐξηράνθη, *Projicitur foras ut palmes qui exaruit.* de qua vide *animad.* suo loco.

C. 2. v. 22. Ἰδοὺ ἐγὼ βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην καὶ τοὺς μοιχεύοντας μετ' αὐτῆς εἰς θλῖψιν μεγάλην. *Ecce ego mittam eam, & eos qui mœchantur cum ea in lecto in afflictionem magnam.* Trajectio ista est adeò abunde frequens in *N. T.* ut in eâ quenquam hærere, non possum mirari satis, præsertim cum vulgaris versio sit ita insignificans. *Codex Alexandrinus* legit φυλακὴν pro κλίνην, sed quia solus, non ei acquiescendum reor; neque verò est ista lectio ita commoda, ut in ea admodùm delecter.

C. 13. v. 8. Ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου ἐσφαγμένου ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Quòd si hæc verba intelligantur de agno occiso ab origine mundi, quod adeò stulti putant, intelligenda reor de *Christo* exhibito

bito in *typo Agni*, qui ab origine mundi pro ſacrificio occiſus ab *Abele*. Sed fortè melius dicendum cum *Scholiaſte Græco*, Ἐν ὑποβάσει ἀκουστέον τὸ, ὧν γέγραπται, ἀπὸ καταβολῆς γέγραπται. Quaſi legendum foret, *Quorum nomina ab origine mundi non erant ſcripta in libro agni occiſi*. Ut fuerunt, qui *non adorabant Draconem*, quales etiam fuerant πάντες οἱ διὰ εὐσέβειαν μαρτυρέμενοι ἐν τῇ παλαιᾷ, *Omnes qui fuerant martyres in Veteri*. Quomodo etiam *Lucas* ait in *Evangelio*, *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*. Atque hanc trajectionem confirmat etiam 17. 8. *Et mirabantur inhabitantes terram*, ὧν γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *Quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ ab origine mundi*: ubi nulla mentio *agni occiſi*, Quod planè innuit, τὸ, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου debere conſtrui cum ὧν οὐ γέγραπται, & non cum τῇ ἀρνίου ἐσφαγμένου

F I N I S.